ATOMI PERIPATETICÆ

SIVE

TVM VETERVM,

TVM RECENTIORVM

ATOMISTARUM PLACITA,

AD NEOTERICÆ PERIPATETICÆ
Scholæ methodum redacta:

A R. P. CASIMIRO TOLOSATE
Capucino, in ſex Tomos diſtributa.

TOMVS II.

Primam partem Phyſicæ complectens.

BITERRIS,
HENRICUS MARTEL,
Cum Approbatione & Privilegio excudebat.

M. DC. LXXIV.

PHYSICÆ PRÆLVDIVM.

POSTQVAM Logica intellectum inſtruxit regulis quibus ſcientiarum inquiſitioni mens poſſit ſecurius incumbere, facémque, vt ita dicam, prætulit, vt veritatem detegat : poſtquam Metaphyſica intentionalis de iis egit, quæ ad rationes entis magis abſtractas, & vniuerſitatibus ſpectant, doctrinæ ordo rectáque methodus, vt ad particularia deſcendamus, corporúmque Naturam, Principia, proprietatéſque contemplemur, poſtulat. Sic mens abſtractionibus fatigata, ſibi pauliſper indulgebit, & varietate corporum recreata vires nouas ſumet, quibus ad Metaphyſicam realem ſeſe accinget. Quapropter, cum longa

nobis ſuperſit via, antequam ad metam perueniamus, terit, vt arbitror, tempus, qui in ipſo initio longas ducit moras prolixioréſque de ipſa Phyſica tractatus edit: ne tamen inſalutato, vt dicunt, hoſpite eam aggrediamur, quæſtiunculis breuiter Reſpondebo.

QVÆRES I. *Quid ſit Phyſica.*

Reſpondeo eſſe quæſtionem rerum naturalium, maximè earum, quæ ſub ſenſus cadere poſſunt: & ex mox dicendis patebit rectè definiri poſſe, ſi dicatur; ſcientia ſpeculatiua corporis naturalis, vt mobile eſt.

QVÆRES II. *An Phyſica ſit ſcientia.*

Reſpondeo affirmatiuè; illa enim facultas ſcientiæ nomen meretur, quæ docet cognoſcere cauſam per effectus, effectúſque per cauſam, & inquirit cauſas & principia eorum, quæ viſuntur in naturâ; atqui hoc præſtat Phyſica; ergo Phyſica eſt ſcientia.

Obiicies cum heraclito: de mutabilibus & corruptibilibus non datur ſcientia; atqui Phyſica agit de mutabilibus & corruptibilibus; ergo non eſt ſcientia.

Reſpondeo: diſtinguo maiorem, de mutabilibus ſecundùm accidentalia non datur

tur ſcientia, eſto maior: ſecundùm eſſentialia, nego.

Dices: plura opinatiuè tantùm cognoſcimus circa res naturales.

Contra, quia nulla eſt ſcientia de cuius obiecto plura ſolùm opinatiuè non innoteſcant; ergo hoc non tollit rationem ſcientiæ. Adde quod ex nobiliori parte deſumenda eſt denominatio.

QVÆRES III. *An Phyſica ſit ſcientia ſpeculatiua.*

Reſpondeo affirmatiuè, quia ſiſtit in nuda contemplatione ſui obiecti; nullas enim aſſignat regulas, quibus illud dirigat, ſed nudè contemplatur elementa, cœlos & mixta.

Obiicies primò, medicina eſt pars Phyſicæ; atqui medicina eſt practica; ergo & phyſica.

Reſpondeo: Medicinam non eſſe partem Phyſicæ, ſed ſcientiam ſubalternatam.

Obiicies ſecundò, ex cognitione rerum naturalium phyſica excitat ad amorem Dei; ergo eſt practica.

Reſpondeo: indirectè excitare & per accidens tantùm; quatenus dat fundamentum ex viſibilibus ad inuiſibilium cogni-

tionem progrediendi, ſed ipſa directè & per ſe non dirigit voluntates noſtras ad amorem Dei.

QVÆRES IV. *Quodnam ſit obiectum Phyſicæ.*

Reſpondeo obiectum Phyſicæ eſſe corpus naturale, prout mobile eſt, quæ concluſio eſt omnium Philoſophorum, niſi ſit inanis quæſtio de voce, licet aliqui non ſatis ſeſe explicent, dum dicunt obiectum Phyſicæ eſſe ens mobile: nam Angeli ſunt entia mobilia, & tamen eorum conſideratio non pertinet ad Phyſicam, igitur corpus naturale eſt obiectum materiale, ratio verò formalis ſub quâ conſideratur à phyſica eſt mobilitas, hoc eſt, vt eſt capax alicujus motus, ſiue alterationis, ſiue generationis, ſiue localis; aut alterius.

Dices: priùs eſt eſſe naturale, quam eſſe mobile; ergo dicendum eſſet obiectum phyſicæ eſſe corpus naturale, vt naturale eſt.

Reſpondeo: principium radicale motus, & naturale eſſe prorſus vnum & idem, quod patebit, cum explicauerimus quid ſit natura & naturale.

QVÆRES V. *Quomodo diuidenda ſit Phyſica?*

Reſpondeo commodè trifariam diuidi poſſe. Prima quidem pars de corpore naturali aget in communi. Secunda verò de corpore naturali inanimato diſſeret. Tertia denique de corpore naturali animato diſputabit. Ratio autem diuiſionis patet, mens enim ſtatim corpus in communi intuetur; deinde ad ſpecies progreditur, & cum imperfectior ad perfectioris cognitionem iuuet, priùs corpus omni vitæ gradu expers conſiderat, & illius cognitione illuſtratus ad corporis viuentis notitiam aſſurgit.

PHYSICÆ

PARS PRIMA.

De corpore naturali in communi.

CORPVS *naturale in communi non vno dumtaxat, ſed variis modis conſiderari poteſt. Primò quidem, vt eſt in ſe conſtitutum per principia intrinſeca: Deinde ſecundùm ipſius affectiones, atque proprietates communes. Sunt autem quatuor præcipuæ, quantitas, locus, tempus, & motus. Ideò quinque ſubiicientur diſputationes. Prima erit de principiis intrinſecis. Secunda de quantitate, vbi de infinito diſputabitur. Tertia de loco, vbi etiam de vacuo. Quarta de tempore vbi etiam de æuo & æternitate. Quinta de motu, vti etiam de quiete; ſit igitur*

DISPVTATIO I.

De corpore naturali ſecundùm principia intrinſeca.

CVM principia rerum naturalium ſint valdè abſcondita, & tamen ab illis pendeat ſolutio quæſtionum omnium, quæ in hâc Philoſophiæ parte inſtitui ſolent, ſimul & cognitio veritatis, quid de illis ſentiendum ſit, operæ pretium duco, ſedulò inquirere. Sequentibus igitur articulis inquiremus, quænam ſint opiniones præcipuæ de principiis; quid de materiâ & formâ ſtatuendum. Sed quia quid ſit naturale cognoſci non poteſt, niſi naturæ notionem habuerimus, ordo legitimus poſtulare mihi viſus eſt, vt inſtituatur.

ARTICVLVS I.

De naturâ & arte.

QVæſtiones de naturâ & arte coniunxi; quia ex cognitione compoſiti artificialis perfectior euadet cognitio naturæ.

QVÆSTIO I.

Quid ſit natura, & naturale.

NAtura variis accipitur modis. Primò, pro Deo Optimo Maximo, quem aliqui vocant naturam naturantem, ſiue producentem alias naturas; quas naturas, naturatas nominant. Secundò, pro eſſentiâ, ſiue quidditate rei: vbi nota, hos tres terminos, eſſentia, quidditas & natura, idem omnino ſignificare, ſed diuerſimodè: nam eſſentia importat ordinem ad eſſe rei, vt eſt principium omnium proprietatum Metaphyſicarum. Natura dicit ordinem ad operationem, vt eſt principium omnium operationum phyſicarum, quidditas dicit ordinem ad definitionem, quâ ſatisfit interrogationi, quid eſt. Tertiò, pro vniuerſitate rerum creatarum; ſic miraculum dicitur, quod ſuperat omnem naturæ vim. Quartò, pro cauſis naturalibus; quatenus ſecundùm inſitam propenſionem agunt; ſic dicitur naturam ſe ipſam reparare. Quintò, pro temperamento quatuor primarum qualitatum; ſic dicitur Petrus ſanguineus, Paulus Cholericus. Sextò, pro eo quod quælibet res eſt vi generationis, quâ de non eſſe, in eſſe educta eſt; ſic hic ſumi debet.

Dico primò, natura rectè definitur ab Ariſtotele, principium & cauſa motus & quietis eius in quo eſt, primò, & per ſe, & non ex accidenti.

Explicatur: dicitur, principium, per quod conuenit cum principiis cognitionis, & cum priuatione; ſi tamen priuatio inter principia annumeranda ſit: ab iis autem differt cum dicitur cauſa. Motus ſignificat omnem mutationem; quies ceſſationem.

ſationem motus quo tendebatur ad acquiſitionem perfectionis, vel poſſeſſionem vegetam propriæ perfectionis iam acquiſitæ, eius in quo eſt, per hanc particulam excluduntur cauſæ externæ, per ſe, & non ex accidenti ad excludendas cauſas, quæ ex accidente in ipſa re, quæ mouetur, inſident: cuiuſmodi eſt ars medendi, quâ, v. g. Hypocrates ſibi ipſi ſanitatem præſtat, quæ idcirco natura non dicitur, quia eſto, cauſa ſit cur Hypocrates ad ſanitatem redeat, non tamen ei per ſe, ſed accidentario ineſt. Denique primò; indicat principia ſubſtantialia; ſiquidem motus & quies ab iis primariò oriuntur.

Nota, quando in definitione dicitur motus & quietis τὸ &, haberi locum particulæ diſiunctiuæ; ſicut & cum Ioan. 4. dicitur, niſi ſigna & prodigia videritis. Aut facit ſenſum accommodum, vt cum 1. Ioan. 2. dicitur Antichriſtus qui negat Patrem & filium, & cum ex Ariſtotele, anima definitur eſſe qua viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus; ſenſus enim illius ex D. Ioan. non eſt eum ſolum debere dici Antichriſtum, qui negauerit Patrem & filium; ſed qui vel vtrumque, vel vnum ex illis negauerit. Senſus etiam definitionis animæ non eſt quod quævis anima ſit principium omnium harum operationum, aliàs plantæ & bruta non haberent animam; ſed ſenſus eſt ibi eſſe animam vbicunque fuerint omnes illæ operationes, vel quælibet illarum. Circa naturæ definitionem pari ratione philoſophandum eſt. Vt autem totum planiùs fiat.

Aduerte ſecundò, res omnes ſaltem ſublunares variis mutationibus eſſe obnoxias; cernimus enim ex ſemine herbam fieri, quæ creſcat, atque in thyrſum, frondes, flores, ſemen variè diſcriminetur,

dum debitum nacta incrementum ceſſat augeri. Præterea cernimus motus illos & alios, ſiue generationis, ſiue corruptionis, ſiue diminutionis, ſiue alterationis, ſiue lationis; ab interno aliquo principio prouenire. Imò & omnium eiuſmodi motuum ceſſationem obſeruamus non minus ab eodem principio intimo, quam motum ipſum, & illud principium vocamus naturam, per quam nihil aliud intelligimus, quam internum illud principium quo res quævis, cum eſt & eſſe perſiſtit, tum agendi, patiendíque, item ab iis ceſſandi habet potentiam. Res autem quæ tale principium internum habent dicuntur naturales.

Quæres 1. an natura ſit principiũ purè paſſiuum.

Reſpondeo negatiuè, quia corpori naturali non minus naturale eſt agere, quam pati, & mouere ſe, quam moueri à ſe, vt patet in viuentibus, quæ operationes ſuas ab interno principio actiuo naturaliter edunt. Deinde aui volanti comparatæ ad volatum, prout cauſa illius eſt, conuenit tota naturæ definitio.

Obiicies cum fraſſen: illud principium motus eſt natura, à quo motus habet quod ſit naturalis, prout naturale apponitur violento & neutri; ſed ſolum principium paſſiuum eſt huiuſmodi; ergo ſolùm principium paſſiuum eſt natura. Probatur minor: motus ille eſt naturalis, qui fit ſecundùm inclinationem naturalem mobilis; ſed à ſolo principio paſſiuo motus habet quod ſit ſecundùm naturalem inclinationem mobilis; ergo à ſolo principio paſſiuo habet quod ſit naturalis. Probatur minor, quia quoties paſſum mouetur à principio paſſiuo, mouetur ſecundùm ſuam inclinationem, quoties verò mouetur à principio actiuo non mouetur ſecundùm ſuam inclinationem.

Reſpon-

Reſpondeo : vt motus ſit adæquatè naturalis, non ſolùm debet eſſe ſecundùm inclinationem mobilis , ſed etiam ſecundùm inclinationem mouentis. Quis autem concipere poteſt mobile moueri à principio paſſiuo, non verò ab actiuo ? certè,ſi mouetur , aliquod agens mouet. Itaque dicendum eſt,principium, in definitione naturæ eſſe aliquid abſtractum ab actiuo & paſſiuo, & vtrumque ſub ſe competens.

Quæres ſecundò , num ratio naturæ conueniat materiæ & formæ.

Reſpondeo : donec explicuerimus quid ſentiendum ſit de materiâ & formâ,dici poteſt, materiam eſſe principium paſſiuum,forma verò principium actiuum & compoſitum eſſe principium adæquatum, atque rationem naturæ illis omnibus diuerſimodè conuenire. Quoad priuationem , dicendum non eſt rationem naturæ illi conuenire; quia priuatio non exiſtit à parte rei , vt diximus in metaphyſicâ. Nec ſibi conſtant , qui ex vnâ parte aſſerunt naturam non ſolùm eſſe principium motûs , ſed etiam cauſam ; quia verum habet influxum , & ex aliâ aſſerunt priuationi conuenire rationem naturæ : quemnam enim influxum habere poteſt priuatio, quæ nihil eſt,ſi ſumatur in abſtracto.

Obiicies : dantur naturæ quæ ſunt principium motûs in alio ; ergo hæc particula , in quo eſt, falſo ponitur in definitione naturæ. Probatur antecedens:ignis producit calorem in alio , ergo eſt principium motus in alio.

Reſpondeo : diſtinguo antecedens dantur naturæ, quæ ſunt principium motus in alio primariò nego,ſecundariò concedo ; primario enim natura eſt principium motûs in ſe.

Dico

Dico ſecundo, rectius definitur natura, ſi dicatur ratio artis diuinæ rebus naturalibus inſerta, quâ ducuntur ad ſuos fines. Hæc definitio eſt D. Thomæ in 2. phyſicorum, lib. 14. & S. Gregorij Nyſſeni in Exam. citatarum à Campanella quæſtionum Phiſiologicarum, quæſt. 4. ad 1.

Explicatur: natura hic ſumitur phyſicè pro rei eſſentiâ, vt à D. Auguſtino ſumitur lib. 2. de moribus Manich. non quidem pro eſſentia præcisè, ſed vt eſt participatio diuinitatis operans vbique eius operatione & imitatione; res enim omnis eam habet eſſentiam, quam ſortitur ab artifice Deo. Ideò vis illa rebus indita, quâ ſunt & operantur, vocatur ratio artis diuinæ, ſiue illius expreſſio; quia proficiſcitur ab idea Dei; ſic enim ſunt, vt Deus res fecit, & ſicut natura horologij non eſt ferrum, neque rotæ, ſed illa entitas, & ratio artis quâ conſtruitur in eſſe horologij, vnde ad talem vſum deſeruit; ſic natura plantæ non eſt elementa, ſed ars illa idealis effuſa in elementorum concinnationem, talem quâ conſtituitur planta, & non aliud ens, quare forma totius eſt natura, & ſicut ferrarius non facit diploidem, ſic neque planta hominem. Quanta verò aliunde induſtria ſuos fructus conficiant plantæ, & animalia natos, palam eſt; ita vt non immeritò naturam, dixerim rationem artis diuinæ, ſiue artem Dei in materia: natura quippe eſt principium innumerabilium, quæ ſine ſummâ ratione perfici non poſſunt. Hinc ortum habuit vetus illud prouerbium, opus naturæ eſt opus intelligentiæ. Ars igitur noſtra imitatur naturam; lanceas enim facit ars, vt natura ſpinas, & natura eſt ars Dei participata, atque adeò neceſſe eſt ideas ponere, tam artis, quam naturæ: ſed idea artis eſt in naturâ, idea

idea naturæ in Deo. Dixi melius definiri, quia clarius, quid ſit, oſtendit hæc definitio quam prima, noſque ducit ad cognitionem primæ cauſæ: vnde ab antiquis philoſophis, Deus dictus eſt, ἀρισοτέχνης, vt autem communem loquendi modum facilius intelligas.

Aduerte illa dici eſſe ſecundùm naturam quæ rei ſecundùm naturam conueniunt v.g. productio roſarum verno tempore eſt roſeto ſecundùm naturam. Præter naturam dicuntur ea quæ fiunt non quidem renitente, neque etiam exigente ſed veluti permittente naturâ: ſic mare moueri à vento eſt præter ipſius naturam. Supra naturam dicuntur quæ ſuperant naturæ capacitatem & vires ſaltem in tali circunſtantiâ v. g. viſus cæco redditus eſt aliquid ſupernaturali homini, denique contra naturam quæ naturæ rei repugnant & dicuntur violenta.

Violentum autem communiter dicitur cuius principium eſt extra, paſſo non conferente vim: ſed vt hæc definitio ſit legitima hæc particula, paſſo non conferente vim, non ſolùm negatiue eſt intelligenda quaſi ſufficiat ſubiectum cui vis infertur non cooperari motui violento ſed inſuper poſitiue & contrarie, ita vt paſſum poſitiue renitatur & agenti extrinſeco reſiſtat, alioquin infuſio habituum ſupernaturalium eſſet violenta. Clarius igitur ſic definitur illud quod eſt à principio extrinſeco paſſo renitente in contrarium qui niſus in contrarium ſi proprie ſumatur importat reſiſtentiam actiuam qualis eſt reſiſtentia canis fune tracti dum nititur fugere; non paſſiuam dumtaxat qualis eſt reſiſtentia muri impedientis ne vltra prætergrediar.

QVÆSTIO II.

Quid ſit ars, & in quo conueniat cum naturâ.

ADuerte inter cognitiones practicas aliquas reducere ſuum obiectum ad prima principia, alias verò minime. Primæ ſunt ſcientiæ, vt logica; medicina, ethica; ſecundæ verò ſunt artes. Ars autem vt eſt habitus internus & intellectualis dicitur communiter habitus cum rectâ ratione factiuus, ſiue habitus reſidens in ratione & eam rectificans ad operandum in materiâ externâ, vt ad formandas ſtatuas, ad pingendas imagines, ad fabricandas domos, cuius deſcriptionis examen in diſputationem de intellectu remitto, accuratiori enim notitiâ illius hic non indigemus. Aliquando ſumitur pro effectu artificioſo ad extra producto v. g. pro figurâ ſeu formâ ſtatuæ, domus, &c. & ſic ſumpta, quid ſit, in quæſtione quartâ differemus.

Natura & ars conueniunt primò, quia vtriuſque opera procedunt ratis certiſque legibus, vnde ab aliquibus natura dicitur ars intrinſeca rei ad ſuos ipſarum fines perducens: ars verò dicitur natura extrinſeca res ad noſtros fines perducens.

Secundò, ſicut agens naturale producit effectum ſibi ſimilem ratione formæ ſuæ; ita artifex aſſimilat opus formæ intelligibili, ſiue exemplari à ſe concepto; vnde ſicut effectus naturalis, antequam habeat eſſe actuale, habet virtuale in cauſâ, ita artificialis habet eſſe ideale in artifice.

Tertiò, ſicut ars naturam, ita natura Deum ſupponit;

ſupponit ; ſicut enim ars nihil efficit niſi ſuppeditato ſibi compoſito phyſico, in quo artificioſam formam concinnet : ita natura nihil gignit niſi è præiacente materia à Deo creatâ, in quam naturalem formam inducat : ſicque res exeunt, Deus profert ex nihilo, natura ex ente in potentiâ, ars ex ente perfecto : Deus creando, natura gignendo, ars componendo concinnandoue.

Quartò, tam ars quam natura ſenſim proficit & ab imperfectoribus ad perfectiora procedit;ars enim v.g. pictoris, primò ſuſceptum opus leuiter adumbrat, tum colorum varietate diſtinguit & paulatim perficit, natura item in effingendo fœtu initio rude aliquid ſine membrorum diſtinctione exhibet, ſed ſenſim perficit.

Quintò, vt natura artem diuinam, ita ars humana naturam, quoad fieri poteſt, æmulatur. Sic dicitur ars ex piſcium pinnis efformare remos didiciſſe,ex caudâ verò gubernaculum,ſimiaque naturæ appellata eſt, ſunt aliquæ aliæ conuenientiæ, ſed hæ ſunt inſigniores.

Natura & ars differunt primò, quia ars res non veras efformat : vnde picturæ ab aliquibus dictæ ſunt vigilantium inſomnia.

Secundò,quoties ars & natura ad opus aliquod faciendum conſpirant,ars perficit naturam arſque tenet locum lucis & regulæ.

Tertiò, ars incipit vbi natura deſinit, quia ſupponit opus naturæ.

Quartò, ars in externâ ſuperficie verſatur, natura verò in abditioribus elaborandis occupatur.

Quæres an natura ſit nobilior arte vel è contra.

Reſpondeo naturalia & artificialia poſſe ſumi vel diſiunctim vel coniunctim ; ſi diſiunctim, natura eſt nobilior arte ; ſi coniunctim, ars eſt nobilior

bilior naturâ vel clarius, artefactum eſt nobilius opere naturæ, quod forma artificiali perficitur. Prima pars patet, quia natura eſt ſubſtantia, ars verò eſt tantum accidens. Secunda etiam patet, quia ſcilicet includens eſt nobilius incluſo; ſic ſtatua eſt perfectior rudi ligno.

QVÆSTIO III.

Ans ars poſſit efficere opera naturæ.

DIco primò, ars modificare poteſt operationes naturæ.

Probatur: modificare operationes naturæ nihil eſt aliud quam efficere vt hoc vel illo modo fiant. Atqui hoc poteſt ars reſpectu operum naturæ. Probatur minor: ſaltatio eſt opus naturæ ſed ars modum concinnum addere poteſt, ita vt fiat ad numeros; ita poteſt ars dare figuram rotundam, ex qua ſequitur maior motus velocitas.

Dico ſecundò, ars poteſt opera naturæ efficere applicando actiua naturalia paſſiuis.

Probatur, applicare actiua naturalia paſſiuis nihil eſt aliud, quam cognitâ virtute agentium agentia applicare ſubiectis in quæ agere poſſint, & nouam inducant formam. Atqui hoc poteſt ars, ſic enim apes producuntur in mortui bouis ventre, ſi fimo tegatur. Sic medici applicando virtutes naturales lapidum atque plantarum reſtituunt ſanitatem. Sic magi Pharaonis Exod. 7. ſerpentes exhibuerunt non adumbratos ſed veros vt ſentit D. Aug. 3. lib. de Trin. c. 7. & in lib. 83. qq. quæſt. 76. id autem fuit factum arte dæmonum qui collegerunt varia ſemina, & collectâ diuerſâ

uerſâ materiâ illa ſemina putrefacta ſunt & ſerpentes loco virgarum repſerunt.

Dico tertiò, non videtur impoſſibile fieri verum aurum Chymicæ artis operâ.

Probatur: angeli naturali cognitione perſpectum habent quam materiam, & quam qualitatum temperationem veri auri generatio requirat. Igitur ſi omnia inuicem rite componant & tempeſtiue applicent, legitimum aurum perferent, ſicut & veros ſerpentes. Poterunt autem angeli tale ſecretum aperire hominibus: vel etiam poterit fieri vt aliquis homo verum methodum inueniat poſt longum exhantlatum laborem & poſt repetitas experientias.

Confirmatur ex eo quod quamplurimi aſſerant Lullium veram methodum calluiſſe & verum aurum effeciſſe; & quamvis nullus adhuc artem illam inueniſſet, non ſequitur nullum vnquam inuenturum; præſertim cum multa in dies hominum ſolertiâ & induſtriâ inueniantur ſuperioribus ſæculis ignota vt vſus tormentarij pulueris & pyxidis nauticæ, ars Typographica, &c.

Objicies: forma auri non inducitur niſi vi caloris ætherei, & à ſole præſertim dilapſi; ergo arte chymicâ, quæ vtitur tantum calore elementari, non fiet niſi aurum adulterinum.

Reſpondeo calorem æthereum & elementarem eſſe eiuſdem ſpeciei; atque adeo negó conſequentiam.

Objicies ſecundò: vendere illud aurum Chymicum pro vero eſt damnatum ab Eccleſiâ in Extrau. cap. ſpondet. Vbi etiam declaratur vendentes teneri ad reſtitutionem, ergo Eccleſia non cenſet poſſe fieri verum aurum arte Chymicâ.

Reſpon

Reſpondeo Eccleſiam ideo prohibuiſſe vendere illud aurum chymicum; quia raro fit verum aurum, ſed tantum ementitum & apparens quod vim ignis ſuſtinere non poteſt; quare periculoſa eſt illa ars dum aurum tentat conficere.

Dico quartò, neque ars, neque artificialis forma, aliquod naturæ opus, vi ſuâ, efficere valet.

Probatur: ars non aliter concurrit cum artifice quam dirigendo, hoc eſt, tradendo regulas operis faciendi. Deinde artificialis forma ex ſe nullam vim habet aliquid producendi, nihil enim aliud eſt, vt mox probabimus, quam compoſitio, ordo, & figura, ſeu modus quidam ac determinatio quantitatis, quæ ex ſe etiam ignaua eſt.

Objicies: Dædali ſtatuæ teſte Ariſtotele huc illucque ſponte diſcurrebant, item columba Archytæ lignea volabat, &c.

Reſpondeo hæc omnia fuiſſe opera artis; ſed motus non proueniebant ab arte ſed à natura, ſicuti videmus in horologiis, quæ libratis certa ratione ponderibus, cientur vel mouentur à lamina Chalybea violenter complicata & paulatim ſeſe explicante. Itaque ars motiones illas non efficiebat, ſed modificabat & attemperabat.

Objicies ſecundò, quædam artes poſſunt efficere effectus ad quos natura non poteſt pertingere; ergo à fortiori eos quos natura edere poteſt. Probatur autem exemplo imaginum aſtronomicarum quarum vi multa ſupra ordinarium naturæ modum efficiuntur.

Reſpondeo illas imagines vi ſua nihil efficere, ſed tantum ad ſummum modificant aſtrorum influxus; ſed cum talia narrantur, cauendum eſt ne fabulæ pro veritate nuncientur, & ne tales effectus ad Dæmonum præſtigias pertineant.

QVÆ

QVÆSTIO IV.

In quo conſiſtat forma artificialis.

QVæſtio non procedit de illis artefactis, reſpectu quorum ars nihil efficit, ſed agentat naturalia dumtaxat applicat; quales ſunt pulli ex ouo per calorem ignis in furno temperatum editi; ſed de artefactis proprie dictis v. g. de ſtatua, pictura, &c. circa quam quæſtionem.

Plurimi ex recentioribus docent, figuram eſſe entitatem aliquam ſuperadditam, modum ſaltem aliquem diſtinctum totaliter ab entitate rei figuratæ.

Contra: talis modus eſſet omnino ſuperfluus, ſi daretur, vt patebit.

Deinde quænam eſſet cauſa talis entitatulæ, primò non ars; hæc enim exiſtit in mente; ergo non habet approximationem neceſſariam ad productionem talis entitatulæ; nec emittere poteſt ex ſe virtutem aliquam cum ſit ſpiritualis; eſt enim habitus intellectus, ratio à priori eſt quia ars non dat virtutem phyſicam ad concinnandos, v. g. colores in tabula; ſed virtutem phyſicam motiuam, manus ſolum dirigit, dictando vbi eos debeat collocare. Sicut qui me docet, quà ſit eumdum Toloſam, non dat mihi virtutem phyſicam ad deambulandum, ſed ſolum oſtendit quâ parte illam debeam exercere.

Secundò, non artifex; hic enim dumtaxat colores apponit in tabellis; at per talem appoſitionem non producit entitatulam aliquam de nouo; aliàs qui ad cumulum lapides, poma, congregaret, ſimilē produceret, quod nullus dicet. In ſtatuis autem

autem imago per meram partium ſuperfluarum ablationem relinquitur; at per talem ablationem non poteſt artifex poſitiuam formam aliquam producere in partibus remanentibus; nam eas relinquit vt antea & ſolum ab eis alias ſeparat.

Confirmatur: poterat Deus annihilare partes quas artifex ſeparauit, & conſeruare illas quas artifex reliquit; atqui tunc non fuiſſet productio alicuius formæ aut entitatulæ de nouo; ergo neque cum artifex ſeparauit illas. Probatur minor; per annihilationem nihil producitur; ſed tunc fuiſſet vera annihilatio ergo nihil fuiſſet productum.

Tertiò, non natura; alioquin illa figura non eſſet artificialis, ſed naturalis: nec dici poteſt talis entitatula reſultare; quia ſolus Deus cauſam non habet, cætera omnia ab aliquâ causâ efficiente pendent.

Alij volunt figuram nihil aliud eſſe quam ſuperficiem externam cuiuſcumque rei.

Contra: eadem manente ſuperficie figura mutari poteſt, vt ſi quis filum ferreum in varias figuras contorqueat.

Alij, inter quos Hurtadus & Arriaga, contendunt figuram in vbicatione partium conſiſtere formaliter, quam vbicationem eſſe modum quemdam de nouo productum totaliter à re vbicata diſtinctum exiſtimant.

Contra: tales modos non dari probauimus in Metaphyſica, & infrà probabimus, cum de vbicatione: & poteſt huc aduocari argumentum quo primam ſententiam refutauimus: nam tales vbicationes producerentur omninò naturaliter, & non per artem, & cum artifex aufert partes ſuperfluas, non poteſt dici producere remanentium vbicationem;

cationem; erant enim antea taliter vbicatæ, quia, vt ſuppono, lignum, aut marmor, quod eſt materia, remanet immobile.

Deinde, quamvis vas mutetur localiter, adhuc eſt idem vas & habet eandem formam artificialem; ſed tunc partes eius non habent eaſdem vbicationes ac antea; ergo illius forma non conſiſtit formaliter in vbicatione partium. Idem dic de tabellâ, ſi de loco in locum transferatur, aut complicetur.

Præterea ſequeretur mutari figuram quotieſcunque loco mutaretur res artificioſa, quia mutarentur vbicationes.

Reſpondet Arriaga figuram mutari phyſicè inadæquatè, non verò moraliter, & in ordine ad apprehenſionem noſtram; quia ſuccedunt aliæ vbicationes eodem modo diſtantes inter ſe ac priores.

Contra: ſequeretur eum qui mouet ſtatuam eſſe cauſam illius formæ artificialis, cum ſit cauſa vbicationum, in quibus conſiſtit forma artificialis; atque adeò erit artifex ſine arte.

Reſpondet idem, eum qui mouet ſtatuam non debere dici artificem vel figuræ illius auctorem; quia non primò produxit illas vbicationes, ſed potiùs ex diſpoſitione priori ab artifice producta neceſſariò ſequitur ſecunda ad motum localem illius figuræ; & hoc ſine vlla arte requiſita in mouente figuram.

Contra primò, ille debet dici auctor figuræ, qui producit quod eſt formale in figurâ; atqui talis motor producit illud quod eſt formale in figura, nempe vbicationes; ergo debet dici auctor figuræ. Eſto, non primò produxerit vbicationes; ſufficit enim ſi ſecundò producat: ſicut Deus dicitur

citur creator noſter, non ſolùm, quia primo produxit nos, ſed etiam, quia ſecundo producit,ſiue conſeruat.

Deinde ſecunda vbicatio ſequitur ad motum localem illius figuræ,inquit Arriaga; ergo vbicatio eſt aliquid poſterius ipsâ figura; ergo non conſtituit eam formaliter. Imò ſi vbicatio conſtitueret figuram formaliter, impoſſibile eſſet figuram moueri. Probatur; impoſſibile eſt moueri figuram, niſi moueatur illud quod eſt de formali cõſtitutiuo figuræ; atqui vbicationes ſunt de formali conſtitutiuo figuræ; ergo impoſſibile eſt moueri figuram, niſi moueantur vbicationes;atqui impoſſibile eſt moueri vbicationes;ergo impoſſibile eſt moueri figuram, ſi vera ſit ſententia Arriagæ;atque adeò impoſſibile eſt ad motum figuræ ſequi vbicationem.

Dico igitur: forma artefacti, phyſicè loquendo, nihil aliud eſt, quam partes rei artificioſæ taliter, hoc eſt tali diſtantia, talíque coordinatione inter ſe per artem diſpoſitæ, cum negatione partium ſuperfluarum.

Probatur: hoc ipſo quod in pictura colores ſunt taliter diſpoſiti, hoc ipſo eſt imago; ergo hæc imago non eſt aliquid diſtinctum à partibus rei artificioſæ taliter diſpoſitis. Clariùs hoc apparet in ſtatua; quia hoc ipſo quòd partes ligni taliter ſunt diſpoſitæ, hoc ipſo eſt ſtatua; modò partes illæ ſtatuæ intelligantur cum negatione partium ſuperfluarum. Superfluas autem partes voco illas, quæ, ſi adeſſent, efficerent aliam figuram, v. g. in ligno cubice quadrato & polito non reperitur ſtatua regis, ſi tamen partes aliquæ auferantur, inuenietur ibi ſtatua egregiè artefacta: idem dic de imagine regis, fiet enim ſi tales colores

lores apponantur debito ordine, & quidem tot quot neceſſarij ſunt, & non plures. Quod dico contra quoſdam, qui dicebant illam negationem non eſſe neceſſariam; quorum opinionem eſſe abſurdam patet: nam alioqui in eodem trunco eſſent omnes ſtatuæ non ſolùm potentiâ, ſed etiam actu; & qui proiiceret atramentum in chartam, efficeret omnes characteres Græcos, Latinos, Hebraicos, quod eſt ridiculum.

Obiicies: negatio eſt aliquid extrinſecum formæ artificiali; ergo ad ipſam non eſt neceſſaria. Probatur antecedens: negatio eſt actus intellectus; ergo eſt aliquid extrinſecum formæ.

Reſpondeo: negatio formalis eſt aliquid extrinſecum, concedo: fundamentalis, nego: fundamentalis negatio, nihil eſt aliud, quam tot eſſe partes præcisè, ſic enim eſt fundamentum negandi plures; ſi autem eſſent plures, non eſſet fundamentum negandi plures, & ſi quis negaret, actus illius eſſet falſus. Itaque figura modus eſt, qui pro genere terminationem rei agnoſcit, & in varias deinde diuiditur figurarum ſpecies, ſecundùm quod partes terminatæ diuerſam inter ſe diſtantiam conſequuntur.

Inferes: quam ritè, & congruenter aſſeruerimus in metaphyſica, accidentia non eſſe entia diſtincta ab omni ſubſtantia diſtinctione totali & adæquata, cum forma artificialis, & figura ſint veræ qualitates, ex ipſo etiam Ariſtotele, & tamen non diſtinguuntur realiter à ſubſtantia cui inſunt.

ARTI

ARTICVLVS II.

Quænam ſint celebriores opiniones de principiis rerum naturalium.

NOn mihi mens eſt omnium Philoſophorum, tum antiquorum, tum recentiorum, de principiis rerum naturalium opiniones ad examinis libram adducere; difficile enim eſt certo cognitu, quid multi ſenſerint Philoſophi antiqui, quorum ſententiæ deridentur ab iis, qui, vt ſuam doceant, aliorum opiniones ita proponunt, vt deliramenta videantur, licet dum viuerent, omnium ad ſe plauſus, & admirationem traherent; quid enim Xenophones, Parmenides, & Melliſſus intellexerunt, dum rerum omnium vnum principium ſtatuerunt? Quid Thales Mileſius, dum aquam ſolam? Quid Anaximenes, dum aërem ſolum? Quid Heraclitus, dum ignem ſolum? quid Pythagorei, dum docuerunt principia ſiſtere in numeris? quid alij, dum in lite & concordiâ? quid alij, dum in vacuo & pleno? Ne igitur in aërem dimicemus, quatuor aut quinque celebriores afferam, & ad examen adducam ſequentibus quæſtionibus.

QVÆSTIO I.

Quænam ſit definitio principiorum.

PRincipium ſumitur primò, pro initio cuiuſlibet rei; ſic vnitas dicitur principium numeri,

&

& locus, vnde aliquis proficiſcitur dicitur principium viæ. Secundò, pro primo, vnde aliquid eſt, ſic Seth eſt ab Adamo. Tertiò, pro eo ex quo aliquid eſt, aut à quo aliquid fit, aut per quod aliquid cognoſcitur. Prima particula principia intrinſeca denotat. Secunda verò principia extrinſeca. Tertia, denique principia cognitionis. De principiis cognitionis in Logicâ egimus; de principiis extrinſecis, nempe de cauſis efficiente, finali & exemplari in Metaphyſica diſſeruimus. Supereſt, vt intrinſeca, ſic dicta, quia ſunt intra rem, explicemus.

Dico, principia intrinſeca rerum naturalium rectè definiuntur ab Ariſtotele lib. 1. Phyſicorum, cap. 5. quæ nec ex ſeſe, nec ex aliis, ſed omnia ex ipſis ſunt.

Explicatur: principia non debent eſſe ex ſeſe inuicem; alioquin vnum eſſet principium alterius: neque ex aliis; alioquin non haberent rationem principij, ſed principiati: ex ipſis verò ſunt omnia, corpora naturalia ſcilicet.

Obiicies: illa definitio conuenit principio externo; ergo non eſt legitima. Probatur antecedens, conuenit Deo: nam Deus non eſt ex alio principio, ſed ex ipſo ſunt omnia, vt ait Apoſtolus.

Reſpondeo: particula, ex, ſi propriè loquamur, denotat principium compoſitionis; Deus autem non eſt principium compoſitionis creaturarum: vnde quando Apoſtolus dicit omnia eſſe ex Deo, intellige eſſe à Deo tanquam à causâ efficiente.

Obiicies ſecundò, principium debet eſſe primum; ſed ſolus Deus eſt primus, cætera enim omnia ab ipſo procedunt; ergo ſolus Deus deberet dici principium.

Reſpondeo: principia dici prima non ſimpliciter, & in vniuerſum per excluſionem cuiuſcunque primi; ſed ſecundùm quid & in genere determinato, nempe in genere compoſitionis; Deus autem vt dictum eſt non eſt principium compoſitionis.

QVÆSTIO II.

Quænam ſit opinio Chymicorum circa principia Phyſica.

CHymici, alio modo dicti Alchimiſtæ, Hermetici, & Spagirici, tria ſtatuunt rerum omnium ſublunarium principia mercurium, ſulphur & ſal. Tot, inquiunt, ſunt principia mixtorum, in quot partes intrinſecas reſolui poſſunt mixta; atqui reſolui poſſunt in tria illa. Probatur minor, ſi planta v.g. aut quid ſimile applicetur ad ignem, ſtatim egredietur ſubſtantia quædam humida, quatenus propriis terminis difficile continetur, facilè verò alienis, éſtquè mercurius; ſi verò fiat maior ignis applicatio, effluit ſubſtantia quædam viſcoſa & vnctuoſa, quæ ſulphur dicitur; deinde ſi per calcinationem redigatur mixtum in cineres, ſub illis reperitur ſubſtantia quædam alba & ſicca corruptioni nullatenus obnoxia, imò à corruptione cætera præſeruans & eſt ſal. Quod autem abſtracto ſale è cineribus remanet, dicitur terra damnata, & caput mortuum, vtpote ad omnia inutile, ideò non recenſetur inter principia, ſicut nec phlegma quoddam inſipidum, quod etiam reperitur in reſolutione corporum. Non eſt autem exiſtimandum illa tria principia eſſe eiuſdem omninò rationis ac mercurius, ſulphur & ſal

ſal, quæ venduntur à mercatoribus, ſed habent cum iſtis affinitatem & conuenientiam.

Mercurius dat fluiditatem & colorem: ſulphur vero, calorem & odorem: ſal denique, conſiſtentiam, grauitatem, atque ſaporem: difficillime ſeparantur ab inuicem, ita vt vni ſemper aliquid aliorum adhæreat, eo tamen minus, quo operationes chymicæ erunt ſubtiliores & potentiores.

Præter illa tria principia admittunt ſpiritum quendam vniuerſalem, qui corporibus omnibus ſublunaribus inſit, qui omnia informet ac viuificet, per quem omnia fiunt, & in ſuo eſſe conſeruantur, qui vocatur ἐντελέχεια, ſeu perfectio mundi, & à Petro Fabre in ſuo Panchym. lib.1.cap.23. definitur pars tenuiſſima omnium elementorum, & cœli, ſeu lucis, quæ in viſceribus terræ ſimul vnita tranſit, & mutatur in ſemen mundi à quo prodeunt omnia, quæ naturaliter fiunt in hoc mundo, & nata conſeruantur. Inde eſt vt ceſſantibus tantiſper talibus influentiis, v. g. ex parte ſolis propter eclypſim, mirum in modum alterantur omnia elementa. His poſitis.

Dico opinionem Hermeticorum circa numerum principiorum non poſſe ſuſtineri phyſicè. Probatur: ex eorum doctrina tot ſunt principia mixtorum quot ſunt partes in quas reſolui poſſunt; atqui mixta reſoluuntur non ſolùm in ſulphur, mercurium, & ſal, ſed etiam in phlegma, & caput mortuum, & etiam Endelechiam; ergo illa omnia ſunt principia; licet enim caput mortuum ſit aliquid vile & inutile quoad vſus noſtros, non eſt tamen inutile quoad naturam, quæ illud in mixtis omnibus immiſcuit; natura autem nihil fruſtra molitur. Deinde illud eſt principium, ex quo eum inſit, aliquid fit, atqui ex capite mortuo,

vt ex aliquo inexiſtente, omnia fiunt; ergo caput mortuum deberet eſſe principium.

Probatur ſecundò, quia ſi mercurius extractus examinetur igne validiore, reſoluitur in aliquid ſubtilius. Idem dic de mercurio & ſulphure, ſulphur enim ſiue oleum facilè inflammatur; ergo ſunt compoſita, ſed quod eſt compoſitum conſtat ex principiis; ergo mercurius, ſal, & ſulphur conſtant & principiis; ergo non ſunt prima principia. Aduerte me non negare illa tria eſſe prima principia mixtorum quoad illam ſcientiam; ſunt enim prima, quia Chymia illis contenta non vlterius progreditur. Itaque dicendum eſt illa eſſe prima principia Hermeticè & Chymicè, non autem phyſicè & abſolutè.

Quoad ea quæ dicuntur de Endelechia nihil eſt quod reprehendam; videbimus enim infrà tenuiſſima illa corpuſcula, tum elementorum, tum ſyderum dare motum corporibus.

QVÆSTIO III.

Quænam ſit opinio Gaſſendi.

GAſſendus diſertiſſimus ſæculo noſtro Democriteas atomos eruderauit. Ille igitur cum Democrito, Leucippo, Epicuro, Anaximandro, Lucretio, exiſtimat omnia componi ex corpuſculis, quæ vocat atomos. Eſt autem atomus corpuſculum in extenſione quâdam ſubſiſtens, attamen indiuiſibile; vnde ſignabiles ſunt in atomis, mente, particulæ, quod geometricis demonſtrationibus ſufficiens eſt. Illas atomos ſupponit eiuſdem rationis, differre tamen penes figuram; aliæ enim ſunt rotundæ, aliæ planæ, aliæ quadratæ,

aliæ triangulares, aliæ oblongæ, &c. & ex illarum concurſu, relinquentium ſpatiola vacua inter ſe diſperſa, omnia fiunt corpora.

Dicit autem illas atomos moueri diuina prouidentia; cum illi antiqui Philoſophi dicerent caſu tantùm moueri; hanc ſententiam fuſiùs infrà proponemus.

QVÆSTIO IV.

Quænam ſit opinio Carteſij.

REnatus Carteſius ſæculo noſtro floruit natione Gallus nouam ſectam inchoauit,& magna cum fama duxit. Hic igitur pro principiis tria ſtatuit elementa: primum eſt corpus quoddam fluidum, & vt ipſe loquitur in partes indefinitas diuiſum; ſecundum eſt corpuſculorum ſphœricorum multitudo ſenſum ſingulatim fallentium; tertium multitudo corporum multangulorum, & ſpecialiter ſtriatorum, quæ tranſitu per ternas ſphærulas tangentes (cum cæteroqui angulofa, vel magis hamoſa forent, & ſic inter ſeſe aceruatim cohærerent) ex globulis ſtrias cochleares, ſeu intortas traxerunt. Horum eſſe duas ſpecies ſtatuit, ex eo quod huiuſmodi corpuſcula ex oppoſitis naturæ plagis citata, ſtrias quoque oppoſito modo concipiant. Hæc tria elementa motu inſito donat, ita tamen vt primum elementum, ex quo lucentia per ſe, vt ſolem & ſtellas fixas fabricat, acerrima velocitate cieatur; minimâ tertium, ex quo tellurẽm,planetas,cometáſque componit; mediâ tandem ſecundum, ex quo cœlos, & Diaphana componit. Porrò omnia

illa corpuſcula diuiſibilia in partes indefinitas eſſe aſſerit. His poſitis.

Dico : illa opinio eſt multum laudanda, eo quod per tria tantùm principia omnium phyſicorum reddere rationem conetur, nullâſque admittat formas, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales totaliter ab omni ſubiecto diſtinctas. Verùm illa elementa non poſſunt dici prima principia, quandoquidem componuntur ex partibus ; atque adeò non ſunt aliquid ſimplex. Deinde prima principia non debent eſſe ex ſeſe inuicem ; atque hæc elementa fiunt ex ſeſe inuicem, quatenus vnum fit ex attritione alterius ; ergo non poſſunt eſſe prima principia. Denique idem author pro ſtellis ſingulis, ex quarum numero terram eſſe arbitratur, ſingulos vortices admittit & triplicem in eis motum circa ſua centra, & centra vorticum, & tertia centra reſpondentia planetis, ſed & alios motus à centris, & verſus centra quorum compoſitione ſpiſſæ creantur lectori tenebræ.

Carteſiani iuxta mentem authoris, & vt eius doctrinam paulo dilucident, aliquod diſcrimen ponunt inter principia & elementa : quinque enim principia ſtatuunt, nempe motum, quietem magnitudinem, figuram & ſitum. Subſtantia autem non eſt principium, quia in aliis principiis includitur ; figura enim non ſumitur ſimpliciter, ſed cum proprio ſubiecto : neque duratio principium peculiare conſtituit, quia eſt attributum generale, & omnibus conuenit ; adde quod corpora non agunt, quia durant, ſed quia ſunt.

Contra : illa principia phyſicè ſumpta nihil aliud ſunt quam elementa, vt infrà patebit. Deinde principia talia eſſe debent, vt reperiantur ſemper in omnibus ; atqui motus & quies non

reperiuntur ſemper in omnibus corporibus naturalibus. Præterea ſitus, vt ſumitur à Carteſianis pro poſitura per reſpectum ad alia, ferè continuo mutatur & eſt aliquid relatiuum; ergo non poteſt eſſe principium; principia enim debent eſſe aliquid abſolutum ſaltem reſpectu cuiuſcunque extrinſeci, hoc eſt non debent dicere relationem ad quodvis extrinſecum, & ſequeretur quod quoties aliquis loco moueretur, toties mutaretur ſecundum aliquod principium intrinſecum, nempe ſecundùm ſitum.

QVÆSTIO V.

Quænam ſit opinio Ariſtotelis.

HAnc vltimam ordine conſtitui, quia ad ſequentem articulum nobis aperit aditum, longóque ſtylo examinanda eſt. Igitur Ariſtoteles corporis naturalis in fieri, ſiue tranſmutationis rerum, quam communiter generationem in fieri vocant, tria principia ſtatuit materiam, formam, & priuationem, eáque hoc modo colligi poſſunt, omnis mutatio tria includit, terminum à quo, terminum ad quem & res quæ dicitur tranſire; ergo ſunt tria principia. Terminus à quo eſt priuatio formæ inducendæ. Terminus ad quem eſt forma, quæ introducitur; res autem quæ dicitur tranſire de vno ſtatu in alium eſt materia.

Dices: ſicut priuatio formæ introducendæ eſt principium, ita etiam à ſimili priuatio formæ quæ deſtruitur erit principium, conſimili enim modo neceſſaria eſt.

Contra, priuatio formæ præcedentis per acci-

dens ſe habet ad generationem; ſi enim materia eſſet ſine vlla forma, daretur vera generatio cum introduceretur aliqua forma. Fatendum tamen eſt, priuationem formæ præcedentis eſſe neceſſariam ad conuerſionem formalem, quæ duplicem mutationem includit; vnam quidem à forma veteri ad eius priuationem; alteram verò à priuatione formæ nouæ ad ipſam formam nouam.

Ariſtoteles corporis, in facto eſſe, duo tantum principia ſtatuit, materiam & formam, talia enim principia nihil aliud ſunt quam partes intrinſecæ componentes; atqui tales partes ſunt tantum duæ, nam priuatio eſt aliquid extrinſecum corpori iam conſtituto in eſſe.

Objicies primò, vnio intrinſece componit; ergo eſt principium.

Reſpondeo vnionem proprie non componere; atque adeo non eſt proprie principium, attamen reſpondetur communiter eſſe principium vt quo, non vt quod; hoc eſt, eſt id quo vniuntur partes, non tamen ipſa eſt pars quæ vniatur.

Objicies ſecundò, ſubſiſtentia eſt de complemento intrinſeco; ergo eſt principium.

Reſpondeo: eſt de complemento intrinſeco hoc eſt, eſt neceſſaria vt aliquid compleatur in ratione ſuppoſiti, concedo; in ratione naturæ, nego; & reuera humanitas Chriſti D. erat verum corpus naturale, & tamen non habebat propriam ſubſiſtentiam.

Objiciès tertiò, diſpoſitiones ſunt neceſſariæ ad generationem; ergo ſunt principium.

Reſpondeo: nego antecedens, non enim requiruntur per ſe & neceſſario ad generationem; fieri enim poteſt generatio ſine vllis diſpoſitionibus, ſaltem diuinitus: at materia, forma & priuatio

natio requiruntur neceſſario & eſſentialiter ad generationem.

Objicies quartò, materia prima componitur ex pluribus partibus; ergo non eſt primum principium.

Reſpondeo, componitur tanquam ex partibus eſſentialiter conſtituentibus, nego; tanquam ex partibus integrantibus & continuatiuis, concedo.

Objicies quintò, forma equi fit ex materia, ſiquidem de illius potentia excitatur, fit item ex ſui priuatione; cum generatio ſit proceſſio à priuatione formæ ad formam; ergo vel principia fiunt ex ſe, quod eſt contra difinitionem principiorũ, vel definitio à nobis tradita non eſt recta.

Reſpondeo cum Conimbric. lib. 1. phyſ. cap. 5. quæſt. 1. art. 4. *Nulla principia modò abſtractè ſumantur, quomodo hic ab Ariſtotele accipiuntur, vt diuus Thomas annotauit, ex aliis fieri dicenda ſunt, cum ne fiant quidem, ſed ſola ſingularia per ſe exiſtentia; atque adeo ſola concreta, docente Ariſt.* c. 7. huius lib. Tex. 64. & lib. 7. methaphy. cap. 8. Text. 26. & 27. *Quare nec forma ignis, nec candor, nec frigus, aliaue huiuſmodi abſtracta fieri dicenda ſunt; ſed ignis, candidum, frigidum: atque ita res habet in cæteris.* Hæc ratio quæ tota eſt Conimbricenſium clarius patebit ex dicendis.

Aliter Reſpondet Poncius: quando dicitur quod principia non fiant ex ſe inuicem, ſenſus eſt, quod nullum ex illis fiat ex alio ſecundùm eam rationem ſecundùm quam illud, quod ex principio fit, fit ex illo principio: quia ergo compoſitum fit ex forma tanquam ex parte intrinſeca actuante partem ſubiectiuam, propterea forma non debet fieri ex alio tali modo, quamvis alio modo fiat ex materia tanquam ex ſubiecto.

ARTICVLVS III.

Quid ſentiendum de principiis ab Ariſtotele poſitis.

ARiſtoteles, vt mox vidimus, ſumit abſtracte principia materiam, formam & priuationem, noſque hoc etiam modo in ipſo articulo ſumemus; illa enim principia admittimus ſi debito modo explicentur. Sententia autem noſtra innoteſcet per quæſtiones ſequentes: interim conſule & repete ea quæ diximus de materia & forma in metaphyſica.

QVÆSTIO I.

An detur & quid ſit materia prima.

DIco primò, datur materia prima.

Probatur: quando ex corpore mortuo fiunt vermes, vel totum omnino corpus perit, vel aliquid manet: ſi primum, annihilaretur & ſic productio vermium non eſſet generatio, ſed potius creatio, aut transſubſtantiatio, quod admitti non debet; ergo datur aliquid quod ſub vtraque forma remaneat. Corpus autem annihilari nō poſſe naturaliter probatur ex illo Axiomate ab omnibus philoſophis recepto, nihil ex nihilo fit & nihil in nihilum vadit vi agentium naturalium.

Confirmatur: ſi in deſtructione hominis, & ſic dicendum de aliis corporibus naturalibus, nihil hominis remaneat, cui bono religioſa apud omnes omnium gentium populos ſepulchi, conſuetudo?

tudo? Cui bono, pia fidelium in ſanctorum reliquias veneratio, ſi ſub cinere aut puluere quem veneramur, nihil eorum remaneat.

Dico ſecundò, materia prima rectè definitur ab Ariſtotele lib. 1. phyſ. cap. vltimo primum vniuſcuiuſque ſubiectum, ex quo cum inſit, non per accidens, aliquid fit & ſi aliquid corrumpitur, in hoc abibit vltimum.

Explicatur: dicitur primum ſubiectum, vt excludatur materia ſecunda: licet enim ſit ſubiectum formæ alicuius artificialis, attamen non eſt primum, conſtat enim ex materia & forma, debet autem ineſſe non per accidens, ſed neceſſario ei quod fit ex ipſa, & ſi totum illud corrumpatur deuenietur ad illam materiam; ſicut in artificialibus v.g. domus materia eſt lapides, cæmenta, lignum; quia ex illis intrinſece componitur, vnde dicuntur eſſe ſubiectum formæ domus, & ſi deſtruitur domus, remanebunt poſt deſtructionem lapides, cæmenta, lignum.

Quæres quænam ſint proprietates materiæ.

Reſpondeo: multæ ſunt, quæ explicari non poſſunt, niſi cognita forma. Quapropter non omnes hic referam. Prima eſt, quod ſit quanta; cum enim forma non poſſit ſaltem naturaliter recipi niſi in materia ad locum extenſa, taliſque extenſio per quantitatem tribuatur, hinc fit vt materia neceſſariò debeat eſſe quanta ad formas recipiendas: dicitur autem quantitas eſſe cóæua materiæ, quia materia non niſi extenſa creata fuit.

Secunda eſt, quod ſit in omnibus mixtis ſublunaribus vna quoad ſpeciem; probatur ex circulo generationum; videmus enim mixta in ſe ipſa inuicem tranſmutari; ſic panis omniſque cibi tranſeunt in ſanguinem, ſanguis in ſubſtantiam viuentis,

viuentis, ſubſtantia viuentis in vermes, &c. illæ enim tranſmutationes fiunt, quia materia, quæ eſt ſub vna forma, poteſt informari alia. Loquor autem de materiâ mixtorum ſublunarium; nam de aliis alibi.

Tertia, quod ſit ingenerabilis & incorruptibilis. Primum probatur; quia generari eſt fieri è ſubiecto; at materia non poteſt fieri è ſubiecto; cum ipſa ſit ſubiectum ex quo omnia generantur, aliàs materia fieret ex ſe ipſa, adeoque eſſet antequam eſſet, quod plane repugnat. Secundum etiam eſt euidens quia quod corrumpitur reſoluitur in materiam tanquam in vltimum ſubiectum; at materia non poteſt reſolui in ſe ipſam; quia ſic eſſet poſtquam corrupta eſſet quod eſt impoſſibile. Quando dixi eſſe incorruptibilem, non dixi eſſe omnino indeſtructibilem, ſicut enim à Deo creata fuit, ab illo etiam poteſt deſtrui.

Quarta: quod ſit cauſa generationis & corruptionis rerum naturalium; quia cum ſit capax omnium formarum & quando eſt ſub vna, recipiat diſpoſitionem ad aliam per quam expellitur, dicitur appetere omnes formas vt ab iis perficiatur; ſed vt innoteſcat quid ſit talis appetitus, ſit.

QVÆSTIO II.

Quid ſentiendum de appetitu materiæ.

SVppono appetitum, propriè, ſignificare actum potentiæ vitaliter appetitiuæ quo ipſa potentia tendit in obiectum ex præuia cognitione, aut ſaltem ſenſatione. Eſt multiplex; alius enim eſt amor, vel ſimplex complacentia abſtrahendo à præſentia, vel abſentia; alius eſt deſiderium

&

& reſpicit bonum abſens;alius gaudium, & reſpicit bonum præſens. Alios actus hic recenſere non eſt neceſſe. Porro appetitus de quo mox locuti ſumus dicitur appetitus elicitus, quia dicitur à potentia appetitiua ex præuiâ cognitione ad diſtinctionem appetitus, quem vocant innatum, qui eſt tantùm metaphoricus; conſiſtit enim in capacitate & proportione ad aliquam perfectionem ſiue recipiendam, ſiue communicandam v. g. ignis dicitur communiter appetere motum furſum, & calefactionem, ſicut nos dicimur appetere quod nobis eſt conueniens. His poſitis.

Dico: materia, proprie non poteſt appetere formam.

Probatur: quia appetere proprie pertinet tantùm ad ea, quæ cognitione, vel ſaltem ſenſatione ſunt prædita; atqui materia prima non eſt prædita cognitione, nec ſenſatione; ergo materia non poteſt appetere; atque adeo fruſtra quæreretur vtrum habeat appetitum gaudij, vel deſiderij, vel complacentiæ, cum appetitum non habeat. Dicitur ergo appetere formas quia eſt capax illarum, vnde tantùm metaphoricè dici debet appetere & totus appetitus conſiſtit in potentia paſſiua ad formas recipiendas, quod adeo clarum eſt, vt nulla indigeat explicatione. Placet tamen illuſtrare illud exemplo ceræ & formæ ſigilli allato à Titelm. lib. 1. cap. 13. *Sicut igitur maſſa cera ex ſe nullam habet imaginem aut formam, ſed iuxta ſigilli variam ſculpturam nata eſt ſuſcipere diuerſas formas, ſiue hominis ſiue leonis imaginem, ſiue alterius cuiuſlibet animalis, dum tamen ſub vna qualibet eſt, pariter nequit eſſe ſub alia, niſi prior abjiciatur, vt cum in cera impreſſa eſt imago leonis, non poteſt in eam introduci imago hominis, donec abjicia-*

prior leonis, ſucceſſiuè tamen indifferenter quamlibet ſuſcipere poteſt impreſſionem. Ita ſane materia ex ſeſe ad omnem prorſus formam indifferens eſt & indeterminata; iuxta autem agentis ſupra ipſam dominium obtinentis, naturalem impreſſionem recipit formæ; iuxta autem formæ varietatem, eſſe varium recipit; forma verò eſſe accidentarium dat materiæ & eius indifferentiam ſuo aduentu ſic ſtringit, vt pariter ſecum aliam ſuſcipere nequeat, quod quidem de formis vltimis debet intelligi; nam inconueniens non eſt plures formas ſubſtantiales ſimul eidem ineſſe compoſito, cum ambæ non vltimæ fuerint aut etiam cum altera non vltima fuerit. Huc vſque Titelm. quæ verbo ad verbum referre volui vtpote quæ ad intelligentiam materiæ & formæ omnino conducant.

Quæres num potentia illa paſſiua ſit aliquid realiter diſtinctum à materiâ.

Reſpondeo negatiuè; ratio negationis eſt quia illa potentia ſuperaddita vel recipitur in materia immediatè, vel mediatè; ſi primum, tam bene forma poterit immediatè recipi in materiam quam illa potentia: quidni enim? ſi ſecundum, dabitur progreſſus in infinitum; quia iterum quæri poterit, num illud quod mediat, recipiatur immediatè necne: dicendum eſt igitur diſtingui tantùm formaliter, non quidem à materia prima, ſed ab eo quod eſt materia prima; ſicut enim potentia intellectiua non diſtinguitur formaliter ab intellectu, ſed ab animâ cum quâ intellectus identificatur: ita etiam hoc quod eſt eſſe potentiam paſſiuam formarum & ſubiectum ex quo fiunt, non diſtinguitur formaliter à materiâ, eſt enim de conceptu formali materiæ; ſed diſtinguitur formaliter ab eo quod eſt materia.

Objicies

Objicies primò, remanente entitate materiæ perit potentia ad formam quam habet & ad formas deſtructas; ſunt enim naturaliter, vt aiunt, incompoſſibiles.

Reſpondeo: nego potentiam perire ſecundùm quod dicit in recto, ſed tantùm ſecundùm quod dicit in obliquo. Hoc-eſt materia non poteſt recipere formas, quia ipſæ ſunt improducibiles, vt aiunt. Deinde quoad formam quam habet, habet etiam potentiam ad illam, licet non puram. Demum infra videbimus num formæ corruptæ reproduci poſſint.

Objicies ſecundò, materia eſt vna & potentia illius multiplex iuxta diuerſitatem formarum; ergo potentia realiter, diſtinguitur à materia.

Reſpondeo potentiam materiæ non eſſe realiter multiplicem; ſicut enim per ſe ipſam poteſt vnam formam ſuſtentare, ita & quamcunque aliam, cum æqualiter ad omnes ſit indifferens; ſicut eſt vna potentia viſiua ad omnia viſibilia; aliàs cum infinitas formas eadem materia recipere poſſit, infinitas haberet potentias realiter diſtinctas, quod eſt abſurdum.

Inferes rationem ſubiecti, vniuerſaliter, conſiſtere in eo quod illud, quod dicitur ſubiectum; ſit aliquid indifferens & præſuppoſitum; ſic cera eſt ſubiectum figurarum, quia eſt indifferens ad figuram hominis, ad figuram leonis, &, vt patet, aliquid præſuppoſitum; neque enim imprimuntur imagines niſi cera præſupponatur.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Quomodo materia prima dicatur pura potentia.

SVppono primò, potentiam aliam eſſe actiuam, & aliam paſſiuam; actiua eſt virtus cauſæ idonea ad producendum effectum, v.g. quando arbor producit fructus ſuos, exercet potentiam ſuam actiuam. Potentia verò paſſiua eſt capacitas ad recipiendum, & eſt vel phyſica, vel metaphyſica. Phyſica eſt capacitas ad recipiendum in ſe phyſicè aliquam formam, v.g. cera habet capacitatem ad recipiendum in ſe phyſicè figuram hominis, ideò dicitur habere potentiam phyſicam ad illam. Metaphyſica eſt capacitas ad recipiendum metaphyſicè aliquod eſſe, & quidem vel eſſe ſimpliciter, & dicitur potentia metaphyſica obiectiua, v.g. Antichriſtus habet potentiam metaphyſicam obiectiuam ad eſſendum, ſiue exiſtendum, quia non repugnat eum accipere eſſe ſimpliciter, cum nullum habeat: vel illud eſſe, quod recipitur, eſt tantùm eſſe determinatum, & tunc illa potentia retinet nomen potentiæ metaphyſicæ ſine addito, v.g. genus eſt potentia metaphyſica, quia poteſt recipere aliquam differentiam, quæ ipſum determinet, animal ex ſe eſt indifferens, vt determinetur per rationale, vel irrationale, vt diximus alibi.

Suppono ſecundò, potentiam dici puram, quando non eſt coniuncta cum actu, ſicut dicitur liquor purus, quando non ei admiſcetur alius, & aurum dicitur purum, quando non ei admiſcetur argentum; ita potentia, v.g. phyſica, dicitur pura,

quando nullam habet in ſe formam per quam actuetur. Igitur

Quæritur vtrum materia ſit pura potentia. De potentiâ actiuâ hîc non videtur eſſe quæſtio, paulò infrà illud examinabimus; nec de potentia paſſiua phyſicâ; conſtat enim nullam ex ſe habere formam, vt forma ſumitur hîc pro principio corporum naturalium; ſi enim haberet ex ſe formam, non eſſet materia prima, ſed materia ſecunda; vel ſi ipſamet eſſet forma, deberet fieri ex ſubiecto, quod impoſſibile eſt. Neque quæſtio eſt de potentia metaphyſica ad recipiendum eſſe determinatum: nam habet genus & differentiam, vt conſtat ex definitione, atque adeò non eſt pura potentia metaphyſica. Quæſtio igitur eſt de potentiâ obiectiuâ, vtrum ſcilicet ex ſe habeat propriam exiſtentiam, an verò tantùm exiſtat per formam.

Dico: materia prima, in quocunque conſiſtat, exiſtit per ſuam propriam exiſtentiam, & non per exiſtentiam formæ.

Probatur: exiſtentia & eſſentia phyſicè, ſunt vnum & idem; atqui materia non habet ſuam eſſentiam, & entitatem à formâ; ergo neque exiſtentiam.

Probatur ſecundò, ſi materia exiſtentiam acciperet à formâ, toties materia corrumperetur quoties mutaret formam, cum illud corrumpatur quod amittit exiſtentiam, at hoc repugnat ſententiæ omnium philoſophorum, qui dicunt materiam eſſe ingenerabilem & incorruptibilem.

Probatur tertiò, cum materia ſit ſubiectum, ex quo forma materialis educitur, neceſſe eſt eam exiſtere ſaltem priùs naturâ, quam formâ ex ea educatur, ac proinde habere debet exiſtentiam indepen

dependenter à forma. Confirmatur: vel forma educitur ex materiâ exiſtente, vel non exiſtente: hoc poſterius dici nequit, quia res non exiſtens eſt nihil, atque adeò forma è nihilo educeretur, quod abſurdum eſt; ergo prius verum eſt; ſicque materia exiſtit ante formam.

Obiicies primò, cum Thomiſtis: materia ab Ariſtotele dicitur ens in potentia, quod recipit ſuum omnem actum à forma; atqui exiſtentia eſt actus; ergo materia ex ſe non habet exiſtentiam, ſed illam recipit à forma.

Reſpondeo diſtinguendo: materia ex ſe eſt pura potentia phyſica, ſaltem quoad formas mixtorum, quatenus ex ſe nullam formam mixtorum habet, concedo; pura potentia obiectiuâ, nego: alias ex ſe nihil eſſet; ſed nihil non poteſt eſſe ſubiectum formarum; ergo materia ex ſe non poſſet eſſe ſubiectum formarum.

Obiicies ſecundò, forma eſt quæ dat eſſe rei, ex Ariſtotele; ergo materia habet eſſe, ſeu exiſtentiam à forma.

Reſpondeo: in definitione formæ τὸ eſſe, ſumitur pro eſſentia, ita vt ſenſus ſit compoſitum naturale in tali, vel tali eſſentia conſtitui per formam; quia materia in omnibus mixtis ſublunaribus eſt eadem, ſed forma eam determinat, vt ſit equus, leo, &c.

Obiicies tertiò, materia ex ſe eſt prope nihil; ergo ex ſe non habet exiſtentiam.

Reſpondeo me mirari, quomodo prope nihil dicatur ab iis etiam, qui prædicant eam eſſe ingenerabilem & incorruptibilem; maximè ab Ariſtotele, à quo dicitur eſſe æterna, & eſt ſubiectum quod ſuſtentat omnes formas, & ſine quo omnes materiales formæ pereant neceſſe eſt. Deinde ex

eo quod non ſit nihil, ſed tantùm ſit prope nihil, ſequitur habere exiſtentiam; ſi enim non haberet exiſtentiam, non eſſet prope nihil, ſed eſſet ſimpliciter nihil.

Obiicies quartò, exiſtentia eſt aliquis actus, ſed omne quod habet actum ponitur in aliquo prædicamento; ergo quod habet exiſtentiam ponitur in aliquo prædicamento, ſed materia in nullo prædicamento ponitur; ergo nullum habet actum etiam obiectiuum; atque adeò non habet exiſtentiam.

Reſpondeo: materiam poni in prædicamento ſubſtantiæ; eſt enim ſubſtantia incompleta, & quamvis aliquis nollet reponere materiam in prædicamento ſubſtantiæ, non bene conſtitueret prædicamenta; prædicamenta enim debent complecti omnia entia.

QVÆSTIO IV.

Quid ſit priuatio, & quomodo dicatur eſſe principium.

PRiuatio ſumi poteſt, vel phyſicè, vel metaphyſicè; ſi metaphyſicè, ſiue abſtractiuè ſumatur, vt ſumitur hîc ab Ariſtotele, eſt carentia formæ in ſubiecto apto; importat enim aptitudinem ſubiecti, ad differentiam puræ negationis, quæ licet ſubiectum connotet, non tamen connotat aptitudinem ſubiecti ad recipiendam talem formam. Si verò ſumatur phyſicè, nihil eſt aliud quam ipſum ſubiectum ſine forma, vt diximus in metaphyſica. His poſitis

Dico primò, priuatio metaphyſicè & abſtractè ſumpta eſt principium generationis ſumptæ, prout

eſt

eſt mutatio, in primo inſtanti ſuæ deſitionis, ſeu cum primum incipit deſinere eſſe.

Probatur primò, generatio ſic ſumpta eſt tranſitus à priuatione formæ ad formam; ergo mutatio in ſuo conceptu formali includit priuationem.

Probatur ſecundò, generatio ſic ſumpta differt à conſeruatione, ſed non per aliquid aliud, niſi quod mutatio importet priuationem formæ immediatè præcedentem tanquam terminum à quo.

Obiicies primò, non ens non poteſt eſſe principium, ſed priuatio eſt non ens.

Reſpondeo: diſt. maiorem, non ens non poteſt eſſe principium phyſicè influens, concedo: principium conſtituens ens aliquod ſucceſſiuum, nego. Ætas Petri, v.g. ex 20. annis elapſis conſtituitur, momento quo exiſtit, & tempore futuro quo victurus eſt, ſed præteritum & futurum ſunt non entia, vt patet.

Obiicies ſecundò, quod eſt principium intrinſecum debet eſſe eo inſtanti quo principiat; at priuatio non eſt eo inſtanti quo principiat; ergo non eſt principium intrinſecum.

Reſpondeo: diſt. maiorem, quod eſt principium permanens, concedo. Quod eſt principium terminatiuum, nego. Priuatio autem eſt tantùm principium terminatiuum, alicuius ſucceſſiui, generationis, ſcilicet, vt eſt mutatio, cuius partes, aut quaſi partes ſimul eſſe non poſſunt.

Dico ſecundò, priuatio phyſicè ſumpta, non eſt tertium aliquod principium.

Probatur: priuatio, ſic ſumpta, nihil eſt aliud quam materia, ſine formâ; ſed materia ſine forma non eſt tertium principium diſtinctum à materia ipſa; ergo, &c. minor patet ex abſurdo: nam materia

teria bis principiaret. Primò, ſub nomine materia, & ſecundò, ſub nomine priuationis. Denique ita cenſet D.Bonau. lib.2. diſt.1.dub.3.

QVÆSTIO V.
Quid ſit forma.

FOrma generaliter nihil eſt aliud quam actus & perfectio Græcè ἐντελέχεια. Sumitur autem variis modis. Primò, pro pulchritudine; vnde pulchra dicuntur formoſa. Secundò, pro intelligentiis; vnde Angeli dicuntur formæ ſeparatæ, immateriales, completæ, actus puri non potentes cum materia commiſceri. Tertiò, pro perfectione accidentali, v. g. albedo dicitur forma accidentalis papyri. Quartò, pro perfectione materiam primam actuante in ordine ad compoſitum; hoc modo ſumimus in iſta quæſtione.

Dico primò, forma metaphyſicè & abſtractè ſumpta rectè definitur, actus primus ſubſtantialis corporis naturalis.

Explicatur: dicitur actus, quia materia ex ſeſe ad omnem prorſus formam indifferens eſt, & indeterminata, & in potentia ad quodlibet; per formam autem actuatur, ſiue determinatur, & in certam aliquam ſpeciem reducitur, vt ait Titelm. de principiis, lib.1. cap.12. & 13. inde forma dicitur communiter illud quod dat eſſe rei, hoc eſt, reducit materiam ad aliquam certam ſpeciem corporum, & ſic dat eſſe ſpecificum. Dicitur ſubſtantialis, quia actuat materiam in ordine ad compoſitum; quare licet communicet materiæ eſſe accidentaliter, compoſito tamen dat eſſe ſubſtantialiter & eſſentialiter, & ſic diſtinguitur ab accidentibus

dentibus,quæ actuant tantùm in ordine ad operationes. Dicitur actus corporis naturalis, ſiue corporis quod fit per generationem,& ſic diſtinguitur à formis ſimplicibus, ſiue intelligentiis. Demum dicitur actus primus, tum quia primario intenditur à natura: tum quia eſt illud quod nobilius eſt in compoſito, & eſt de eſſentia, & per hoc diſtinguitur à modis ſubſtantialibus, qui non ſunt actus primi; ſupponunt enim formam, quæ conſtituat eſſentiam.

Obiicies: forma non recipitur,niſi in materia affecta quantitate aliiſque accidentibus; ſed hæc accidentia ſunt actus; ergo forma non eſt actus primus.

Reſpondeo formam eſſe actum primum in intentione, licet non ſit primus in executione.

Inſtabis: cum nihil ſit priùs in re aliqua quam eſſentia illius, quæ eſt forma, vt ait Ariſtoteles 2.phyſic.cap.3. text.28. neceſſe eſt formam eſſe actum primum,non modò quoad intentionem, ſed etiam quoad executionem.

Reſpondeo: hoc verum eſſe de forma collata cum compoſito naturali, ſiquidem tale compoſitum non eſt,niſi forma aduenerit, adeóque forma eſt actus reſpectu compoſiti abſolutè primus. Si tamen forma conferatur præciſè cum materia, ſic fatendum eſt eam non eſſe actum primum quoad executionem,quia forma non recipitur in materia omnino nuda, ſed aliquibus accidentibus & diſpoſitionibus affecta.

Huc vſque cõuenimus manúſque iungimus cum communi Neotericorum,ſed tota difficultas eſt in explicando,quid ſint illa principia phyſicè ſumpta hìc enim opus, hìc labor eſt, & quia res eſt maximi momenti, ideò inſtituendus eſt.

ARTI

ARTICVLVS IV.

De principiis phyſicè ſumptis.

VNum quodlibet poteſt & metaphyſicè, & phyſicè conſiderari, ideò cum ſuperiori quæſtione de principiis metaphyſicè ſumptis egerimus, de illis phyſicè ſumptis diſſeremus; ſicut enim ab eo qui iam pronuntiauit, materiam domus eſſe illud ex quo inexiſtente fit domus, formam verò eſſe actum, quo tale ſubiectum ad eſſe domus perficitur, quæri poteſt, quid phyſicè ſit illud ex quo inexiſtente fit domus, & reſpondere debet eſſe ligna, cæmenta, lapides; formam verò eſſe illorum omnium ordinationem, & diſpoſitionem ſecundùm regulas artis: ita adhuc inquirere debemus in quo phyſicè conſiſtat materia & forma. De priuatione nihil hic agemus, quia de illa phyſicè ſumpta ſufficienter egimus in metaphyſica, & in concluſione ſecunda quæſtionis quartæ ſuperioris articuli.

QVÆSTIO I.

Quid ſit materia prima phyſicè ſumpta.

QVi docent continuum conſtare ex partibus in infinitum diuiſibilibus, docere etiam debent, materiam primam eſſe ſubſtantiam in infinitum diuiſibilem; ſed infrà ſufficienter hæc ſententia refutabitur: vt autem ſtabiliatur ſententia noſtra præmitti debet ſequens concluſio.

Dico

Dico primò, non repugnat dari atomos, ſiue puncta phyſica, & de facto dantur.

Probatur primò, punctum phyſicum eſt indiuiſibile extenſum impenetrabiliter;atqui hoc non repugnat; ergo atomus non repugnat. Probatur minor, non repugnat aliquid eſſe indiuiſibile & extenſum impenetrabiliter, nam angeli ſunt indiuiſibiles & extenſi ſeſeque poſſunt ad libitum impenetrabiles reddere; ergo ſine contradictione & repugnantia concipi poteſt ſubſtantia corporea indiuiſibilis & extenſa & impenetrabilis; atque adeo poteſt dari atomus.

Dices angelos eſſe ſpirituales; at vero puncta phyſica ſunt res materiales & corporeæ;vnde non valet conſequentia; aliàs nullum eſſet diſcrimen inter ſubſtantiam angelicam & materialem.

Reſpõdeo res corporeas differre à ſpiritualibus, in eo quod corporeæ vel habent partes integrales quibus conſtant, vel ſunt earum primordia & radices totum integrale conſtituere natæ, quod non conuenit ſubſtantiæ ſpirituali.Deinde diſcrimen eſt, quia angeli ſunt penetrabiles vel impenetrabiles ad libitum; at non ſic puncta phyſica ſunt enim impenetrabilia naturaliter, quid autem mirum, quod rei materiali indiuiſibili concedamus extenſionem, cum in ſententia Complutentium, Mailhat & aliorum Thomiſtarum, quam ſententiam Conimbricenſes vt probabilem tuentur, animæ animalium perfectorum ſunt ſimplices, indiuiſibiles & extenſæ licet materiales?

Probatur ſecundò, materia, ſecundùm omnes Peripateticos, producta eſt per creationem,ergo conſtat ex punctis phyſicis. Probo conſequentiam, ſola puncta phyſica ſunt termini creationis, quæ terminatur ad res corporeas; illud enim eſt terminus

terminus creationis quod fit ex nihilo; atqui ſola puncta phyſica fiunt ex nihilo, non verò continuum; ergo ſola puncta phyſica ſunt termini creationis, quæ terminatur ad res corporeas. Probo minorem, continuum eſt compoſitum; ſed compoſitum non fit ex nihilo; ergo non eſt terminus illius creationis. Probo minorem, quod fit ex partibus & reſoluitur in partes non fit ex nihilo; atqui omne compoſitum fit ex partibus & in partes reſoluitur; ergo materia, vt eſt terminus creationis, nullam admittit reſolutionem; atque adeo eſt incapax diuiſionis. Quia verò ea puncta non poſſunt eſſe ſimul incapacia extenſionis, ſic enim non poſſent conſtituere materiam extenſam, neceſſe eſt vt ſint ſimul incapacia diuiſionis & ſimul extenſa. Demum cum creatio non ſit modus diſtinctus realiter, non poteſt vna creatio eſſe plurium ſimul per modum vnius, ſed diſtinctè quælibet ſingularis creatio eſt rei creatæ ſingularis, ac determinatè tot ſunt creationes ex parte termini, quot ſunt creatæ partes materiæ; ergo cuiuſlibet puncti phyſici determinata pariter ſunt in ſe ipſis attributa omnia; ergo & extenſio tanta, vel tanta, vt Deus nouit.

Dices, poteſt Deus creare totum, licet ante nullas creauerit partes, aut puncta; ergo totum erit terminus creationis.

Reſpondeo diſtinguendo, poteſt Deus producere totum nulla præſuppoſita partium anteceſſione temporis, concedo; naturæ, nego. Quia partes naturâ præſupponuntur toti. Quare totum erit terminus creationis, non vt ſic, & vt totum eſt; ſed ratione punctorum ex quibus conſtat.

Objicies: omne ens extenſum eſt quantum; ſed punctum phyſicum non poteſt eſſe quantum;

ergo non poteſt eſſe extenſum. Probo minorem, quod eſt quantum habet quantitatem; atqui punctum phyſicum non poteſt habere quantitatem, quia non poteſt habere partes extra partes; ergo non poteſt eſſe quantum.

Reſpondeo negando maiorem: angeli enim ſunt extenſi, & tamen non ſunt quanti: punctum itaque non eſt quantum, ſed principium quantitatis: dici tamẽ poteſt quantum mathematicè; quia cum ſupponatur habere plures facies, vna eſt extra aliam mathematicè, quatenus vna poſt aliam deſignari poteſt: non verò eſt quantum phyſicè; ad hoc enim neceſſe eſſet vt haberet partes extra partes.

Objicies ſecundò, cum Carteſio de principiis p. 2. non poteſt Deus priuare ſe potentiâ diuidendi quodlibet; ergo non datur atomus.

Reſpondeo Diſt. antecedens, non poteſt Deus priuare ſe potentiâ diuidendi quodlibet, quod partibus conſtat, concedo antecedens; quodlibet etiam carens partibus, nego antecedens, & conſequentiam.

Objicies tertiò, vbi datur vnum extremum & aliud extremum, ibi dantur partes; atqui in eo, quod eſt extenſum, eſt vnum extremum & aliud extremum; ergo in eo omni quod eſt extenſum ſunt partes.

Reſpondeo diſting. maiorem: ſi illa duo extrema ſint res diſtinctæ, concedo maiorem; ſi ſint vnica res, nego maiorem. Deinde diſtinguo minorem, in eo quod eſt extenſum, eſt vnum extremum & aliud extremum, & illa extrema ſunt res diſtinctæ in atomo, nego minorem, ſunt vnica res, concedo minorem & nego conſequentiam. Vel diſtinguo maiorem: dantur partes vel realiter & phyſicè,

phyſicè, vel per ſolã deſignationẽ & mathematicè concedo maiorem; ſunt partes realiter & phyſicè ſimpliciter, nego maiorem: tum concedendo minorem, diſtinguo conſequens, in omni extenſo ſunt partes vel realiter & phyſicè, vel per deſignationem & mathematicè, concedo conſequentiam, realiter & phyſicè ſemper, nego.

Inſtabis: vbi eſt vnum & aliud, ibi ſunt res diſtinctæ; ſed in omni extenſo eſt vnum & aliud, nempe vnum extremum & aliud extremum; ergo ſunt res diſtinctæ.

Reſpondeo diſtinguo maiorem, vbi eſt vnum & aliud ſubſtantiuè, ibi ſunt res diſtinctæ, concedo maiorem; vbi eſt vnum & aliud adiectiuè duntaxat, ibi ſunt res diſtinctæ, nego maiorem. At in atomo non eſt vnum & aliud ſubſtantiuè, ſic enim ſignificat vnam & aliam rem; ſed eſt vnum & aliud adiectiuè, hoc eſt vnus & alius terminus, ſed vterque realiter identificatus. Vel eſt vnica entitas virtualiter multiplex, quatenus æquiualet pluribus in ordine ad locum.

Inſtabis ſecundò; terminus, A, non eſt terminus, B, ergo ibi eſt vnum & aliud ſubſtantiuè.

Reſpondeo diſtinguo antecedens; terminus, A, non eſt terminus, B, realiter & phyſicè, nego antecedens; formaliter ſeu ſecundum deſignationem & mathematicè, concedo antecedens, & nego conſequentiam, & retorqueo argumentum, ex ſuppoſitione quod anima rationalis ſit in toto corpore & animæ brutorum ſint indiuiſibiles, anima quæ eſt in capite non eſt anima quæ eſt in pede, ſunt enim in diuerſis ſubiectis. Idem dici poteſt de angelo qui ſe ad figuram quadratam accommodat, quod reſpondebitur ego reponam.

Objicies quartò ſequeretur dari in creaturis

aliquid ſimile Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis. Probatur conſequentia ; eadem res haberet modos realiter diſtinctos ; ſit enim punctum cuius vna ſuperficies ſit plena, altera vero conuexa, illæ duæ ſupeficies diſtinguntur realiter.

Reſpondeo primò propriè, eſſe vnicum modum, nempe vnicam figuram ; Triangulum enim licet tres lineas habeat, vnicam tantum figuram conſtituit. Secundò myſterij ſanctiſſimæ Trinitatis veſtigia aliqua in creaturis reperiri, nec inde vllum ſequitur abſurdum : imò inde eſt Deum laudandi occaſio, & ad aliqualem ipſius cognitionem perueniendi. Tertiò illæ duæ ſuperficies non poſſunt dici diſtingui realiter, cum inter ſe nullam habeant oppoſitionem naturalem. Quartò nec Scotiſtæ nec Suariſtæ negabunt idem corpus poſſe eſſe, etiam circumſcriptiuè, in pluribus locis. Sit igitur eadem cera Romæ cubica, Toloſæ rotunda, Monſpelij Pyramidalis, tres modi incompoſſibiles eſſent in eadem ſubſtantia ; ſed hæc omnia lenia ſunt ſanctiſſimæ Trinitatis veſtigia, quod myſterium omnem mentis noſtræ aciem infinitis titulis ſuperat.

Objicies ſecundò, cum Goudino 1. parte phyſ. diſp. 1. art. 3. ſect. 1. Quantitas eſt proprietas corporis, ergo nullum eſt corpuſculum indiuiſibile. Probatur conſequentia, tum quia diuiſibilitas eſt proprietas quantitatis, tum quia quod habet partes integrantes eſt diuiſibile, ſed omne quantum habet partes integrantes, ſiquidem quantitas eſt extenſio partium ; ergo omne quantum eſt diuiſibile.

Secundò, quamvis illa corpuſcula eſſent indiuiſibilia, non tamen poſſent eſſe figurata ; nam figura conſurgit ex varia partium quantitatiuarum

rum diſpoſitione ; ſed atomus nullas habet partes.

Tertiò dato quod atomi darentur, non tamen eſſent prima principia;quia componerentur ex potentia & actu corporeo,hoc-eſt,ex materia & forma, aliàs eſſent actus purus.

Reſpondeo ad primum,diſtinguo antecedens : quantitas phyſica eſt proprietas corporis phyſici & quantitas mathematica eſt proprietas corporis mathematici, concedo antecedens ; quantitas phyſica eſt proprietas corporis mathematici,nego antecedens ; atomus autem non eſt corpus phyſicum ; ſed punctum phyſicum & initium corporis phyſici, ideo eſt indiuiſibilis phyſicè ; at quia eſt corpus mathematicum, habet enim trinam dimenſionem, ideo quantitas mathematica eſt illius proprietas & diuiſibilis eſt mathematicè, ſiue per deſignationem ; habet enim partes mathematicas in infinitum mathematicè diuiſibiles.

Ad ſecundum, patet iam ſolutio ; nam figura phyſica conſurgit ex varia diſpoſitione partium quantitatiuarum phyſicarum ; figura verò mathematica ex diſpoſitione partium mathematicarum quas ſolas habet punctum phyſicum.

Ad tertium ſcrupulum Reſp. atomos eſſe compoſitas ex potentiâ & actu metaphyſicis, hoc eſt ex genere & differentia, atque etiam ex potentia obiectiua & actu obiectiuo, quatenus poſſunt eſſe & de facto ſunt, non autem ex materia & forma phyſica : maximè ſi hæc intelligantur neoterico modo ; non tamen ſunt actus purus, quia actus purus dicit ſummam eſſendi neceſſitatem, ita vt non poſſit non eſſe, quam non dicit atomus; poteſt enim annihilari : & nonne angelus

caret materia & forma phyſica, numquid ideo dicendus eſt actus purus? numquid ob tam parui momenti rationes, tam beliè triumphum agere auctor ille debebat: Poſtquam ratiunculam vnam, quæ ex ſola noſtræ de forma ſententiæ propoſitione euaneſcit, expoſuit, rationibus conglobatis nos impetere conatur, tum tria argumenta, quæ mox ſolui, proponit, additque alia tria quibus reſpondebo poſt tertiam concluſionem huius quæſtionis. Deinde phænomena philoſophiæ, & Theologiæ myſteria recenſet, dicitque nos non poſſe horum reddere rationem; ſed fari, non modò abſurda ſed & delirio, fabelliſque ſimillima: nos homines imaginationi deditos vocat; doctrinam noſtram periculoſam, omnium ſapientum cenſurâ proſcriptam, tanquam non modò rudem & ineptam, ſed etiam de religionibus malè meritam, criminatur. Denique arbitratur, nos vt vanitatis cultores tali doctrinæ adhærere, vt ingenij acumen in malæ cauſæ defenſione oſtentemus. Verum legat auctorum, qui iam ſecundùm eadem principia ſcripſere, libros, Deprehenderque eos omnes obiectiones ſoluere. Decurrat mente, quæ iam in metaphyſica tradidi & quæ in philoſophia trado, ſit æquus rerum æſtimator, iudicabitque me difficultatibus omnibus ſufficienter ſatisfacere. Quoad conuicia: hoc vnum reſpondeo, hæc parum omnino modeſtiæ religioſæ, imo & philoſophicæ congruere, vnde dicta ſunt, lorricium cæterarumque muliercularum argumenta.

Dico ſecundò, materia prima phyſicè ſumpta eſt congeries atomorum.

Probatur: illud eſt materia prima, cui cõueniunt definitio & proprietates materiæ; atqui atomis,

& definitio & proprietates materiæ conueniunt; ergo atomi ſunt materia prima. Probatur minor; quia ſunt primum ſubiectum, cum non ſint compoſitæ & ex illis inexiſtentibus fiunt omnia corpora naturalia & in illas reſoluuntur, ſi fiat reſolutio vſque ad prima componentia, cum ſint omnino ſimplices, non poſſunt fieri niſi per creationem iuxta doctrinam D. Thomæ 1. parte, quæſt. 118. art. 1. ergo ſunt ingenerabiles: quia ſunt indiuiſibiles, ſunt incorruptibiles. Deinde ſunt quantæ mathematicè, ſi ſumatur quælibet atomus ſeorſim; &, ſi plures vniantur, faciunt quantitatem phyſicam; ergo illis conueniunt definitio & proprietates materiæ. Totum autem hoc probabitur fuſius in toto decurſu philoſophiæ, præcipuè cum de continuo & elementis agemus. Interim concluſio confirmari poteſt authoritate Ariſtotelis qui lib. 1. de gen. cap. 8. loquens de Leucippo fatetur poſitis his principiis facile reddi poſſe rationem omnium motuum & Platoni Democritum anteponit; quia licet vterque indiuiſibilia poneret, Plato tamen atomos dicebat eſſe ſuperficies, Democritus verò corpora minutiſſima.

Dico tertiò, omnes atomi non ſunt eiuſdem figuræ & æquales.

Probatur; ſic enim debuerunt creari vt inuicem connecterentur & diuerſas operationes ederent.

Objicies cum Goudino vbi ſuprà, hæc ſine vllo fundamento fingi; rogo enim, inquit, quibus conſpiciliis, aut quo microſcopio explorauerint illas figuras. Deinde ſequitur atomos illas non eſſe indiuiſibiles; nam atomus oblonga vel eſt longior & gracilior alterâ quadratâ, vel non: ſi non eſt gracilior, neque longior quadratâ; ergo nõ

eſt oblonga; ſi verò ſit longior & gracilior; ergo vna eſt longior altera: atque adeo diuidi poterit ſecundùm exceſſum.

Reſpondeo me conſpiciliis intellectus, & microſcopio rationis, tales figuras exploraſſe: nam poſtquam ſtatui dari atomos, mens mea, intellectus vi, illas deprehendit finitas ſecundùm extenſionem; ergo terminatas, ergo figuratas: tum ratio iudicauit debere eſſe variè figuratas, vt inuicem ſe complecterentur, & inde eruitur ratio cur ſubitò per colum vinum perfluat, oleum verò non item, nempe quod oleum maioribus conſtet atomis, aut ſaltem magis hamatis magíſque inter ſe implicatis, quæ proinde tam cito diduci nequeunt. Deinde quod vna excedat aliam, non ſequitur illas eſſe diuiſibiles; ſint enim duo animalia perfecta, canis, v. g. & Elephas iam retorqueo argumentum, vel anima elephantis eſt plus extenſa, quam anima canis, vel non: ſi ſecundum, non poteſt informare corpus tam ingens: ſi primum, diuide elephantis animam ſecundùm exceſſum, quem habet ſuprà animam canis; certè hoc poſſibile dicere non concedunt principia Thomiſtica. Caſtiga igitur imaginationem, quantitatem phyſicam à mathematica diſtingue & rectè omnia concipies.

Dico quartò, omnes atomi ſunt eiuſdẽ rationis, ſicut vult Gaſſendus poſt Democritum, non diuerſæ rationis, vt vult Maignanus poſt Empedoclem.

Probatur, materia eſt omnino ſimplex, ſed non eſſet omnino ſimplex, ſi atomi ſtatuerentur eſſe diuerſæ rationis, ſaltem non eſſet tam ſimplex, quam à nobis ſtatuitur, cum congeries atomorum diuidi poſſet in plures congeries ſubſtantialiter inter ſe diſcrepantes.

Probatur

Probatur ſecundò, nulla diuerſitas ſine neceſſitate eſt inducenda; ſed atomorum diuerſitatem ſubſtantialem inducendi nulla eſt neceſſitas, cum ſine illa naturæ phænomena omnia per inæqualitatem atomorum, diuerſitatem figurarum, variántque diſpoſitionem explicari poſſint, vt in decurſu patebit. Sicut in artificialibus experimur ex eodem ferro, ſed in varias figuras accommodato variéque diſpoſito diuerſas prodire operationes.

Obiicies, cum Maignano Viro eruditiſſimo Phil. nat. cap. 1. prop. 5. ſi generans nihil ageret, quam vt adderet materiæ ſimilaris partem vnam alteri parti, non faceret nouam naturam, adeóque nec nouam eſſentiam phyſicam, ſed faceret totum integrale homogeneum, quod non eſſet diuerſæ rationis ab vna parte ſuæ totalis materiæ; ſicut ſi muſicus duas voces per omnia inuicem ſimiles coniungeret, nunquam faceret Diapaſon, ſed ad hoc neceſſe eſt, vt vocem inferiorem cum ſuperiori iungat, ita vt inferior ſit dupla ſuperioris.

Reſpondeo agens non facere nouam naturam, nec nouam eſſentiam materialiter, bene tamen formaliter; ſicut in Arithmeticis, qui binario numero addit vnitatem ſimilem prioribus, facit numerum ſpecie diuerſum à priori; & in ordine artificiali horologium ſpecie differt à ſerra ex eodem ferro facta. Sed de tali diuerſitate ſpecifica iterum, cum de forma agemus. Ratio autem reſponſionis eſt, quia diuerſitas naturæ & eſſentiæ non eſt deſumenda ex diuerſitate materiæ, cum certum ſit equum, & Leonem inter ſe ſpecie differre, & tamen ex eadem materiæ congerie conſtant, nempe ex quatuor elementis, vt vult Maignanus; ergo talis diuerſitas deſumenda eſt

ex parte formæ, quam à diuerſa partium diſpoſitione, & harmonia non diſtinguit; neque enim admittit formas Neotericas. Ad ſimilitudinem autem ex muſica mutuatam, Reſpondeo illam mihi fauere plurimum: nam vox inferior & ſuperior non differunt eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter, & penes modum; ex eo enim quod aliquid ſit duplum alterius, non ſequitur diſtingui ab eo eſſentialiter, & certè ſi vna vox eſt dupla alterius, dici nequit eas eſſe per omnia ſimiles, quod tamen ille ſupponit.

Obiicies ſecundò, ſicut ex multiplici A, non formantur varia vocabula, quamvis variam habeant figuram, ſi vnum formatur, ſic ᴀ, aliud ſic A, aliud ſic *A*; coniungantur enim illa omnia, nunquam facient diuerſum ſonum, ita ex atomis eiuſdem rationis, licet variè figuratis, non poteſt fieri diuerſum compoſitum.

Reſpondeo; ſimilitudinem confundere duos ordines; facit enim tranſitum à ſcriptura ad vocem. Fateor igitur quod, ſi ᴀ, A, *A*, coniungantur, non facient diuerſum ſonum, quia in ratione ſoni, & vocis non habent diuerſam figuram; habent enim eundem valorem, vt loquuntur grammatici. At ſi ſolius ſcripturæ ratio habeatur, quis dubitat ᴀ, A, *A*, ſimul ſumpta facere diuerſam ſcripturam ab iſta A, A, A, atque adeò nihil inde contra nos concluditur.

Objicies tertiò, cum Goudino, vbi ſuprà, ſi omnes atomi ſint eiuſdem ſpeciei, debent habere eundem motum naturalem: nam corpora eiuſdem ſpeciei mouentur eodem motu naturali, & tamen dicitur illarum atomorum alias ſurſum, alias deorſum, alias in tranſuerſum moueri.

Reſpondeo, in diſputatione de motu oſtendam

corpuſcula

corpuſcula illa, imò & corpora omnia naturalia eſſe, quantum eſt de ſe, indifferentia ad quemlibet motum, & moueri dumtaxat versùs eam partem, versùs quam determinantur ab extrinſeco.

Aduerte autem, vt tollatur æquiuocationis occaſio, illas atomos poſſe dici diuerſæ rationis, & ſpeciei eo modo quo A, & B, ſpecie differunt ratione figuræ, non verò ratione ſubſtantiæ.

Quæres primò, an illa puncta poſſint occupare minus & minus ſpatium in infinitum.

Reſpondeo illud non eſſe probabile, imò nec illud crediderim de Angelo, quod ſcilicet Deus non poſſit ad minimam omnium vbicationem illam reducere. Minus crederem illud naturaliter fieri poſſe; cum enim puncta non habeant cognitionem, non poſſunt ad libitum modò maius, modò minus ſpatium occupare: deberent igitur ad illud determinari per agentia extrinſeca; at quomodo id facerent, concipi non poteſt; aliunde ſi aliquid vrgeret nos ad illam hypotheſim, maximè rarefactio, & condenſatio; at illas ſufficienter ſine tali hypotheſi explicabimus.

Quæres ſecundò, an atomi poſſint mutare figuram.

Reſpondeo mihi videri probabilius non poſſe, nec talis hypotheſis eſt neceſſaria ad explicanda phænomena phyſicæ; inflexio enim corporum, ex quâ hæc opinio deſumpta eſt, prouenit tantùm ex eo quod in vno corpore puncta ſint magis aut minus compacta, maioréſque, aut minores poros habeat, & aliquæ ipſius partes ad inuicem accedant, & ab aliis recedant, moueantúrque motibus contrariis, quod atomo non eſt concedendum, niſi adſit ſpecialis aliqua ratio. Facilè verò concipi poteſt, quomodo aliqua corpora facilius diuidantur,

tur, quam alia, ex eo quod partes adinuicem ſint minus implexæ.

Quæres tertiò, quomodo ex atomis fiat compoſitum.

Reſpondeo, atomi propter variam figuram, quam habent facilè implicantur inter ſe, & fit prima complexio. Deinde corpuſcula quæ per primam complexionem fiunt, iterum implicantur inter ſe, & fit alia complexio: & ſic de reliquis, eo modo quo lini capillamenta aptè contorta filum conſtituunt, & ex filis certo modo implicatis componitur tela, & ex tela certo modo conſuta fit veſtis.

QVÆSTIO II.

Quid Neoterici ſentiant de formâ phyſicâ.

VIx vllum repereris Neotericorum, qui clarè explicet, quid ſit forma phyſicè ſumpta: definitionem afferunt Metaphyſicam, quam in ſenſum phyſicum trahere conantur. Sic igitur illam proponunt communiter: actus ſubſtantialis vnum per ſe cum materia conſtituens.

Explicant: ſic dicitur actus ſubſtantialis, quia eſt ſubſtantia incompleta totaliter, & adæquatè à materia diſtincta, & quia ad illam ex ſua eſſentia ordinatur, ideò cum illa facit vnum per ſe, ita vt forma & materia ſint duæ res quæ poſſint, ſaltem diuinitùs exiſtere ſeparatæ.

Forma illa educitur de potentia materiæ, hoc eſt, vt aiunt, producitur à cauſa aliqua efficiente, in ſubiecto quod illam recipit, & ad illam ſe habet paſſiuè, nihilque confert quod ſit illi intrinſecum;

ſecum; attamen forma dependet ab illo ſubiecto in eſſe & operari, hoc eſt, non poteſt exiſtere ſine illo, neque operari ſine illo. Hoc autem intellige de forma materiali: nam forma ſpiritualis, qualis eſt anima rationalis, non educitur è potentia materiæ, ſed creatur.

Forma, quæ educitur, dicitur fieri de nouo, & fieri ex nihilo ſui, licet non ex nihilo ſubiecti, quod ſic intelligunt, vt ante productionem nihil omnino formæ præexiſtat in materia, talis tamen productio præſupponit aliquod ſubiectum, non ex quo fiat, ſed in quo fiat ad diſtinctionem creationis, quæ eſt productio de nouo, tum ex nihilo ſui, tum ex nihilo ſubiecti. Porrò dari formam ſic intellectam multis probare conantur argumentis, quæ ſoluemus infrà in modum obiectionum.

QVÆSTIO III.

Num reuera detur forma phyſicè ſumpta, ſic intellecta.

DIco: forma intellecta ſenſu expoſito in ſuperiori quæſtione non datur.

Probatur illo axiomate ab omnibus recepto, non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; ergo ſi ſine illa forma ſic totaliter diſtincta à ſubiecto è quo educitur, poteſt reddi ratio omnium eorum, quæ quæruntur in phyſica, nulla eſt neceſſitas illam admittendi; atqui eorum omnium reddi poteſt ratio, vt patebit ex ſolutione obiectionum & argumentorum ſuprapoſitorum, & ex decurſu totius philoſophiæ; ergo illam admittere non debemus. Probatur interim minor: ſine tali for-

ma

ma poteſt eſſe compoſitum eſſentiale; quid enim clarius quam plures atomos diuersè figuratas ſumi poſſe. Secundò, ſimul vinculo naturali iungi atomos illas. Tertiò, poſſe ſaltem diuinitùs impediri productionem cuiuſcunque alterius entitatis diſtinctæ: & tamen tunc erit totum, ſine compoſitum habens eſſentiam talem, ex illis atomis in tali & tali proportione ſumptis conſtantem.

Dices; tale totum non poſſet eſſe principium omnium operationum, quæ viſuntur in corporibus naturalibus, & maximè in viuentibus.

Contra: gratis hoc dicitur; ſi enim atomi eos effectus attingere non poſſint ſe ſolis, ac ſimul vnitis, cur poterit forma materialis, cum non habeat etiam, niſi corpoream & diuiſibilem agendi virtutem; vt patet in inſectis, v.g. in fele, cuius abſciſſo capite, quadrupes truncus ſatis multo tempore diſcurrit?

Replicabis hoc fieri per ſpiritus animales.

Reſpondeo, & hoc contendo, eos ſpiritus hoc agere, & alia quæ formæ Neotericæ tribuuntur. Quare cum per illos poſſit reddi ratio illius & cæterorum effectuum, non eſt cur recurramus ad illam formam Neotericam.

Probatur ſecundò, illa forma appeteret ſuiipſius deſtructionem, quod eſt contra illud ab omnibus receptum axioma & experientiâ firmatum, omnia abhorrent à ſui non eſſe & appetunt conſeruari. Certè, ſi catulus fame preſſus in aquam deturbetur, aduersùs fluctuum vim ad extremum ſpiritum decertat. Guttulæ aquæ ſe in orbem cogunt, vt aduersùs aërem ſe tueantur; ignis in vnum ſe recipit, contra vim frigoris certaturus. Probatur igitur antecedens: in oleo, aqua ardente, nitro, &c.

eſt

eſt magna facilitas ad flammam concipiendam, vnde talis facilitas? vnde talis propenſio & appetitus? non à materia, quam volunt aduerſarij eſſe omnino inertem, & nullam habere vim agendi; ergo à forma.

Dices illam facilitatem prouenire à diſpoſitionibus.

Contra: hæ diſpoſitiones proueniunt à forma exigente & conſeruante, & omnem vim agendi tribuente; ergo & appetitus ad deſtructionem ab illa etiam prouenit.

Probatur tertiò, norunt Peripatetici materiæ diuerſitatem ad formas diuerſas eſſe neceſſariam; hanc tamen diuerſitatem materia non habet ex ſe, ſed à diſpoſitionibus. Hoc poſito, ſic argumentor: cum naſcuntur herbæ calidiſſimæ in frigidiſſimis montium receſſibus, ad quos ſolis radij vix penetrant; niues enim ad ſummam æſtatem ibi regnant: ſimiliter mineralia calidiſſima in locis etiam frigidiſſimis, quid diſponit materiam ad hanc formam? quid calorem introduxit? an aquæ circunſtantes? at frigidiſſimæ ſunt. An vetus forma, quæ illam materiam informabat? ergo ſeipſam prodidit libens, & nullo vrgente, cum diſpoſitiones ad nouam formam produxit, vicinis entibus exiſtentibus frigidiſſimis. An cœlum, vtpote cauſa vniuerſalis? ſed idem cœlum, idem ſol, eædem pluuiæ, iidem venti in toto climate terram afficiunt, & tamen non vbique naſcuntur plantæ illæ. An demum Deus ipſe? ſed ſic facilè ſoluentur omnia; cur enim non dicis Deum producere flores, & fructus arborum, &c. Deus quidem concurrit, ſed alia cauſa naturalis eſt aſſignanda. Satius igitur dicendum eſt materiam ex ſe habere illam diuerſitatem, quia nihil aliud eſt, quam

multi

multitudo corpuſculorum, quæ propter diuerſitatem figurarum, variarum actionum ſunt capacia. Quia igitur frigus circunſtans aſtringit corticem illarum plantarum, occludit poros, ne ſpiritus ignei aufugiant.

Probatur quartò, illa forma, ſi daretur crearetur; atqui non creatur, educitur enim; ergo non datur. Probatur maior, quod fit ex nihilo creatur; atqui forma fieret ex nihilo; ergo crearetur.

Dices: ad hoc vt aliquid dicatur creari, neceſſe eſt vt fiat non ſolùm ex nihilo ſui, ſed etiam ex nihilo ſubiecti, forma autem fit ex ſubiecto.

Contra: fieri è ſubiecto, non eſt fieri tanquam ex aliquo inexiſtente ipſi formæ; hoc enim nolunt aduerſarij; ſi enim concederent, iungeremus r[illegible] nus; quia ſic non fierent de nouo ſecundùm totum eſſe; ſed quia, vt volunt, forma ita fit ex ſubiecto, vt ſubiectum nihil illius ſit, idcò fit ſecundùm totum ſuum eſſe; atque adeò creatur, vt patet definitione creationis.

Dices ſecundò, fieri ex ſubiecto, eſt fieri ex potentia materiæ paſſiua. Quare formæ non fiúnt ex nihilo cum fiant ex potentia materiæ.

Contra: illa potentia materiæ non eſt aliquid formæ; ergo forma fit de nouo ſecundùm totum ſuum eſſe, atque adeò creatur. Deinde eſſe potentiam paſſiuam formæ in materia nihil eſt aliud, quam materiam poſſe recipere in ſe formam; pati enim nihil eſt aliud, quam ſuſcipere in ſe, quod ſi verum ſit, anima rationalis generaretur; cum ipſa recipiatur in materiâ; contineretúrque in potentia materiæ; materia enim illam recipit æquè ac alias.

Dices

Dices tertiò, fieri ex ſubiecto non eſt ſimpliciter fieri in materia, ſed fieri in materia dependenter ab ea,ita vt exigat fieri in materia.

Contra: forma non poteſt dependere à materia, tanquam ab aliquo actiuo; ergo tantùm vt à paſſiuo, ſeu recipiente. Quarę materia erit id in quo fit forma non id ex quo fit forma; ſicut, ſecundùm Scotiſtas, gratia ſupernaturalis creatur ex eo quod non fiat ex anima, vel eius potentiis; quamvis de facto fiat in anima, & exigat fieri in anima, &, vt ait Goudinus cum communi Thomiſtarum, formæ elementorum in prima rerum creatione, non ſint eductæ de potentia materiæ, ſed ſimul creatæ in materia; at cum eſſent materiales ſecundùm ſe, exigebant fieri de potentia materiæ; ergo talis exigentia non impedit creationem. Deinde, totum illud conuenit animæ rationali: nam non ſolùm fit in m[illegible]ias ſed etiam exigit fieri in materia; cum ſit [illegible]era forma corporis.

Dices quartò, cum Dabillon, talem dependentiam,ſic intelligendam eſſe,vt illa res,quæ dicitur educi,extra ſubiectum,nec eſſe, nec operari naturaliter poſſit.

Contra: illud conuenit gratiæ, & tamen creatur in ſententia Scotiſtarum: imò alij communiter concedunt formas,quæ educuntur, poſſe creari; quo dato anima equina creata talem haberet dependentiam à ſubiecto,vt extra ſubiectum, nec eſſe, nec operari connaturaliter poſſet, alioqui materialis non foret, ſed eſſet alterius ſpeciei; quia per aliquid maximè notabile differret ab aliis animabus equinis, nihílque haberet quo differret ab anima rationali. Prætereà, ſequeretur formam non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens. Probatur:

batur : illud eſt accidens, quod non per ſe exiſtit; atqui illa forma non per ſe exiſtit ; ergo,&c. Probatur minor : illud per ſe non exiſtit , quod non per ſe eſt ; atqui forma non per ſe eſt , quandoquidem dependenter à materia eſt ; ergo eſt accidens. Idem reſpondendum eſt illis , qui dicunt formam materialem differre à rationali , quod prima ſubiectetur & ſuſtentur à materia : ſecunda verò tantùm recipiatur : quid enim eſt materiam ſuſtentare , quam eſſe baſim eſſendi formæ ; ergo forma per ſe non exiſtit & à fortiori non per ſe ſubſiſtit;aliàs non indigeret ſuſtentaculo materiæ. Adde quod cum forma ponatur eſſe multò nobilior, quam materia, non conſequenter dicitur dependere ab illa.

Dices quintò , cum Goudino 1. parte phyſic. diſp.1. quæſ.3.art.2. licet forma corporea dependeat à materia , vt recipiente , & veluti à fundamento ſine quo eſſe non poſſit : attamen rursùs materia dependet à forma , vt à ſuo complemento, & à dante ſibi eſſe ſimpliciter ; cum ergo , vt dicit Chriſtus,beatius ſit dare quam accipere,forma quæ dat eſſe nobilior eſt quam materia , quæ ipſum recipit.

Contra : imperfectius eſt dependere ſecundùm ſuum eſſe , ſicut dependet forma à materia,quandoquidem ſine illa eſſe non poteſt ; quam dependere ſolùm ſecundùm ſuum complementum, ſicut materia dependet à forma. Deinde falſum eſt materiam recipere eſſe ſimpliciter à forma, cum materia formæ præſupponatur ; quod autem præſupponitur,non poteſt recipere eſſe ab eo, quod è ſinu eius educitur; quia eſt quid poſterius. Deinde,ſequeretur formam creare materiam:nam creare nihil eſt aliud,quam dare eſſe ſimpliciter.

Dices ſextò, cum Valeriano Magni, is qui reſpiciendo in ideam producit aliquid ex nihilo, dicitur creare, qui verò ex cæca neceſſitate propriæ naturæ aliquid producunt ex nihilo, non ſunt creatores, ſed agentia naturalia.

Contra: ſicut reſpectus ille ad idæam gratis aſſeritur neceſſarius ad creationem, ita gratis negatur. Deinde nunquid creat ſculptor, quando inducit figuram hominis in lignum; reſpicit enim ad idæam & illa figura dici poteſt fieri ex nihilo, cum antea non eſſet niſi in potentia? Prætereà, Deus concurrit cum cauſis ſecundis ad productionem effectuum illarum; ergo quando aliqua forma producitur, à Deo producitur; ſed Deus ſemper agit reſpiciendo in idæam; ergo Deus illam formam creat, & ſic omnes formæ crearentur; quod ſine dubio admittendum non eſt. Demum nunquid creantur omnes formæ ranarum, ſerpentum & cæterorum inſectorum, quas Deus ſolus producit in ſententia valdè communi ſcholaſticorum?

Dices ſeptimò, formam dici dependere à ſubiecto, quia materia concurrit ad illius productionem, & in illam habet verùm influxum actiuum, talem vt vi eius vniatur materiæ, ad eum modum, quo anima producit in ſe ſuos actus.

Contra primò, forma non fieret ex materia, ſed ab illa ſimul & in illa; quia illa eſſet & principium actiuum efficiens & paſſiuum recipiens.

Secundò materia ageret immanenter; atque adeo vitaliter; ergo eſſet nobilior omnibus formis non viuentibus; quomodo igitur eſt pura potentia? imò erit nobilior ipſa anima rationali, atque etiam angelo, cum vis illa materiæ produ-

cat

cat ſubſtantias quas nec anima, nec angelus poſſunt producere.

Tertiò ſecundùm Thomiſtas materia eſt pura potentia. Quomodo igitur poteſt habere illam vim actiuam, cum hæc non poſſit non eſſe actus? & adhuc fateantur neceſſe eſt, materiam producere exiſtentiam, qua ipſamet exiſtit formaliter; nam cum ipſa, ſecundùm illos, non exiſtat, niſi per exiſtentiam formæ, non poteſt produci forma, quin producatur eius exiſtentia; quod abſurdum eſſe patet; ex eo quod materia debuit prioritate naturæ præcedere primam ſuam formam, quam actiuè produxit influxu ſuo quo eamdem ſibi vniuit: at non potuit præcedere, quin prius natura exiſteret, quam forma; cum exiſtentia ita ſit vltimus eſſendi modus, vt ſimul ſit prior omni actualitate agendi & recipiendi: & quamvis conſequentia non valeat, exiſtit, ergo agit, aut patitur; valet tamen hæc, agit; ergo exiſtit. Cum igitur materia debuerit præcedere omnem influxum ſuum, debuit etiam præcedere omnem terminum influxus. Quare, quia ante primam ſuam formam, non potuit materia prius naturâ præſupponi exiſtens; cum, ſecundùm Thomiſtas, non exiſtat, niſi per exiſtentiam formæ, non potuit etiam in eam influere.

Dices primam formam ſine concurſu materiæ ſola Dei actione fuiſſe productam.

Contra: Deus tunc ſuppleuit tantùm defectum generantis creati; atqui generans non creaſſet; ergo nec Deus tunc creauit formam; ſed eam è potentia materiæ eduxit.

Dices ſecúndò cum Goudino vbi ſupra quæſt. 3. quod non fit per actionem tranſmutatiuam materiæ, non educitur è potentia materiæ; ſed primæ formæ non ſunt factæ per actionem tranſmutati-

uam materiæ; nam tranſmutatio ſupponit ſubiectum quod tranſit de potentia ad actum; at primæ formæ non ſuppoſuere ſubiectum. Adde quod ſcriptura dicit compoſita eſſe creata, & non ſolam materiam; ait enim, creauit Deus cælum & terram.

Contra; primæ formæ ſuppoſuerunt ſubiectum prioritate naturæ, quod ſufficit; nam terra primo inſtanti reali, quo extitit, habuit ſuam grauitatem, ſuam denſitatem, ſuam duritiem, ſuam ſiccitatem, &c. ſed hæ qualitates ſunt eductæ de potentia ſubiecti; ergo eductio non ſupponit tranſmutationem niſi prioritate naturæ. Deinde, eductio, inquis, ſupponit tranſmutationem materiæ; at materia non tranſmutatur, niſi per receptionem qualitatum, quæ ſunt diſpoſitiones ad formam; hæ verò diſpoſitiones educuntur de potẽtia ſubiecti. Cum igitur eductio ſupponat tranſmutationem ante eductionem iſtarum diſpoſitionum, debet ſupponi eductio aliarum & ſic in infinitum. Denique ad verba ſcripturæ ſacræ, ſufficit quod Deus materiam creauerit; nam eodem cap. verſ. 21. dicitur Deus creaſſe cete grandia, & tamen formæ cetium eductæ ſunt, cuius ſignum eſt, quod Deus dixit, vt aquæ illa producerent; atqui aquæ non creauerunt.

Quartò ex Ariſtotele & antiquis eius diſcipulis, materia prima reſpectu horum quæ fiunt ex ea, eſt ſicuti æs reſpectu ſtatuæ; ſed nunquid dices, æs habere influxum actiuum in figuram quæ ſuperinducitur. Certè talem influxum non nouit Ariſtoteles, cum illius nullam vnquam mentionem fecerit.

Quintò ſecundùm multos quodlibet poteſt eleuari ad quodlibet; ergo corpus Embrionis

ad

ad producendam animam rationalem. Quo poſito illa anima rationalis eſſet generabilis & corruptibilis; quia illud eſt generabile, quod fit concurſu tum actiuo, tum paſſiuo materiæ.

Dices tunc materiam non fore propriam cauſam; ſed ſolum inſtrumentum.

Contra: quia hoc non impedit quominus materia foret principium actiuum.

Sextò, principium deſe prorſus indifferens ad omnes formas & nihil in ſe vel ex ſe habens, quo ſe ad hanc ſpeciem potius quam ad illam actiuè producendam determinet, non poteſt hanc ſpecie formam potius producere quam illam, imo nullam; atqui materia talis eſt.

Dices materiam determinari per diſpoſitiones.

Contra: vel diſpoſitiones actiuè producit, vel ſolùm recipit, neutrum dici poteſt: non ſecundum, quia hæc forma diſpoſitiua non minus eſt materialis; ergo ſi poteſt fieri ab agente extrinſeco materia præbente ſolum paſſiuum influxum; ergo etiam & alia. Neque primum, quia materia non minus eſt indifferens ad hanc diſpoſitiuam quam ad aliam; ergo deberet determinari per aliam diſpoſitiuam & ſic in infinitum. Deinde, vel illa diſpoſitiua forma eſt aliquid diſtinctum à calore v. g. vel non: ſi primum, dabitur progreſſus in infinitum; ergo materia nihil accipit; ergo non determinatur; ſi verò calor dicatur materiam determinare ad ſui actiuam productionem; vel determinat in eo inſtanti in quo iam ab igne productus eſt, vel in eo in quo proximè eſt producendus: non primum, quia adæquatè productus eſt; ergo non eget vlteriori cauſæ actiuæ concurſu; non ſecundum, cum nondum ſit.

Dices materiam determinari ad producendum

actiuè

actiuè calorem per actionem ignis calefacientis.

Contra: vel illa actio eſt aliquid realiter diſtinctum à calore, vel non: non ſecundum, aliàs calor determinaret materiam ad producendum ſeipſum; non primum, quia vel reciperetur in materia merè paſſiua, vel ab ea penderet vt concurrente actiue; non primum, vt ſimiliter diximus de forma diſpoſitiua; ergo actio non minus eſt materialis, nec minus à materia dependet, quam calor ipſe; non ſecundum, quia materia non minus eſt indifferens ad ipſam actionem recipiendam, & ad influendum in eam actiuè, quam ad alias formas.

Dices iterum materiam determinari ſola agentis ſocietate.

Contra: materia ex indifferenti, non poteſt fieri determinata, niſi recipiat aliquid in ſe; atqui ex ſola ſocietate præcisè non recipit aliquid in ſe, quia ſola ſocietas non mutat ſtatum intrinſecum; at ſi recipit aliquid, vel illud recipit paſſiuè ſolum, vel ſimul cum igne producit, quod dici nequit ex argumentis ſuperioribus.

Probatur 5. Illa forma, ſi daretur, annihilaretur in deſtructione compoſiti; atqui non annihilatur in deſtructione compoſiti; ergo &c. Probatur maior: quod deſinit eſſe ſecundùm totum ſuum eſſe, annihilatur; atqui forma deſinit eſſe ſecundùm totum ſuum eſſe; ergo annihilatur.

Dices remanere ſubiectum.

Contra: ſi deſtrueretur anima rationalis, remaneret ſubiectum, & tamen annihilaretur; ergo remanentia ſubiecti non officit annihilationi.

Dabillon preſſus vi illius argumenti phyſ. diſ. 3. quæſ. 1. Concedit argumenti maiorem, & negat minorem, eſto, inquit, agentia naturalia annihilent,

nihilent, maior virtus requiritur ad producendum quam ad deſtruendum; ignis citò conſumit domum per longum tempus ædificatam: ratio eſt, quia ignis immittit diſpoſitiones contrarias diſpoſitionibus conſeruantibus formam ligni, & his corruptis Deus ceſſat conſeruare formam, atque adeo propriè Deus, non agens creatum, annihilat.

Reſp. 1. Hoc hactenus eſſe inauditum & contra illud principium ab omnibus philoſophis, illo vno excepto, receptum: nihil in nihilum vadit vi agentium naturalium, imò nec ipſe audet illud negare: vnde dicit agentia naturalia, propriè, non annihilare, ſed Deus eſt, inquit, qui annihilat.

Reſp. 2. Cur non dicit idem de productione? ſic agentia naturalia nihil producent, nihil deſtruent, atque adeo non erunt agentia, aut ſic non bene res ſe habet, dum creaturæ datur productio, quæ ſecundùm ſe bona eſt & Deo datur deſtructio, quæ ſecundùm ſe aliquid malum eſt. Deinde introducendo diſpoſitiones ad formam nouam, vel deſtruunt diſpoſitiones formæ exiſtentis in ſubiecto; vel non deſtruunt, ſed ſolus Deus: ſi primum, non eſt potior ratio cur deſtruant formam accidentalem quam ſubſtantialem, tam enim bene accidentalis annihilari dici debet quam ſubſtantialis; ſi ſecundum, dicam ſimiliter ea non poſſe producere diſpoſitiones; ſed Deum ſolum eas producere in præſentia agentium naturalium. Ad illud autem quod dicitur requiri maiorem virtutem ad producendum quam ad deſtruendum. Reſp. hoc verum eſſe in aliquibus, ſed non in omnibus & vt per exemplum morale imo & phyſicum reſpondeam, exemplo artificiali,

citò

citò accenditur ſeditio, difficile ſedatur, facilè contrahuntur quidam habitus qui difficilè deſtruuntur.

Alius non mediocris notæ philoſophus non valens vim illius argumenti effugere, reſpondit formas non deſtrui, ſed recedere à ſubiecto ſicut anima rationalis recedit. Sed quo? an forte dabitur metempſycoſis? non, reſpondit. quo igitur recedunt? nunquid dabitur paradiſus aliquis boum, equorum, leonum, pulicum, aut ſaltem renouabitur opinio poëtarum fabuloſa de campis elyſiis iam antiquata? non, inquit: quo igitur abeunt? at ille, arbitror illas recedere in aliquam partem aëris. Rurſus, manebuntne ibi per totam æternitatem? non, inquit; ſed tempore iudicij conſumentur igne. Lepidè ſane in aëra veluti papiliones volitant & comburentur. Cur ignis ille poterit tunc deſtruere formas etiam auri, chryſtalli, &c. & ignis iam vehementiſſimus non poteſt vel vnicam formam culicis deſtruere. Deinde nulla poteſt aſſignari ratio cur Deus reſeruet formas illi igni comburendas & non iam illas ipſe conſeruare deſinat, certe hoc credendum eſt; nam ſcire quis illud poteſt? mihi reuelatum non fuit.

Toletus aliò ſe vertit vt effugiat vim duorum argumentorum vltimorum & cum dicat 1. de gen. cap. 3. q. 2. *Profectò ſi productio primo eſt ipſius formæ, cum nihil formæ præceſſerit, dicetur creatio* & lib. 1. phyſ. cap. 9. quæſt. 17. ſic ait. *Negandum eſt prorſus, cum Ariſtotele, formas fieri aut produci; ſed compoſita fiunt, non ex nihilo, ſed ex materia; formæ verò conſequenter fiunt & comproducuntur. Vnde non eſt ipſarum creatio, quia creatio eſt actio, quâ aliquid primo fit; formæ verò non primò fiunt. Hæc autem eſt vis conceſſa agentibus naturalibus vt com-*

poſitum producerent, ac ſimul mediante illo formas attingerent, quod non eſt creare, nec aliam philoſophiam habemus ab Ariſtotele & eſt optima & notanda, hæc ille.

Reſpondeo: pars & principium fit prius, quam totum & principiatum; ſed forma eſt pars & principium; ergo forma primò fit. Sic in artificialibus prius fiunt muri, tabulata, tectum, quam ipſa domus. Similiter illud prius fit quod dat eſſe, quam illud quod recipit eſſe; atqui forma dat eſſe; ergo. An fortè diceres prius intendi compoſitum. Contra: quod eſt primum in intentione eſt vltimum in executione; ergo compoſitum vltimò fit. 2. anima rationalis non crearetur, quia Deus tantùm producit illam, vt conſtituat aliquod compoſitum, ſcilicet hominem. 3. Quod muri fiant propter domum, minuſne fiunt ex re aliqua? ita, licet pars fiat propter compoſitum, non minus fit, ſiue primò, ſiue ſecundò; ſicut reuera fit oculus, licet fiat cum capite.

Dicit idem Toletus lib. 1. de gen. cap. 3. quæſt. 2. ſicut qui virgam incuruat non facit curuitatem, ſed facit curuum id-eſt dum lignum tale facit, curuitatem comproducit: ita non producitur forma, neque fit, ſed compoſitum ad cuius productionem comproducitur & conſit forma.

Reſp. in noſtra ſententia hæc ſimilitudo poſſet aliquid efficere, at nihil efficit poſitâ ſententiâ aduerſariorum, nam curuitas eſt aliquid conſequens ipſum lignum iam conſtitutum in ſuo eſſe, & forma ligni, ſi qua eſt qualem dicunt, ſubſtantia eſt & pars compoſiti nobiliſſima quæ dat eſſe rei, & ex cuius productione fit ipſa res, nec tamen adhuc confecta omnino res eſt.

Dicunt

Dicunt Conimbricenſes formas omnes præter animam rationalem non propriè fieri, quia non poſſunt per ſe ſubſiſtere.

Reſp. ergo non ſunt ſubſtantiæ. Deinde cur non poſſunt ſubſiſtere per ſe? quia intereunt. Vnde habent hoc, ſcilicet formas materiales interire? Deinde, nunquid accidentia propriè fiunt, licet intereant, vel ſaltem totum compoſitum fit & tamen interit; nonne interit homo? nonne interit leo? nonne interit lignum?

Probatur 6. Talis formæ de nouo genitæ ſecundùm totam ſuam ſubſtantiam non poteſt aſſignari cauſa; ergo non datur. Probatur antecedens: forma equi non educitur à generante; quia, vt ſuppono, equus, è quo exciſum eſt ſemen, interiit ſtatim poſt emiſſionem ſeminis, neque ab equa, quæ ſemen recipit; hæc enim ſecundùm principia D. Thomæ paſſiuè ſe habet & materiam duntaxat ſubminiſtrat.

Dices 1. cum Thomiſtis, ſemen generat illam formam in virtute equi generantis.

Contra: ſemen producere illam formam in virtute generantis eſt virtutem generantis, quæ relicta eſt à generante in ſemine, producere illam formam; at hoc dici nequit; nam talis virtus eſt qualitas, atque adeo accidens; accidens autem non poteſt generare ſubſtantiam; aliàs imperfectius generaret perfectius.

Dices 2. cum Fernelio, formæ omnes ſunt cæleſtes; neque enim, inquit, veriſimile eſt elementa rebus gignendis vniuerſam conferre [illegible]ſtantiam & cælum manere otioſum.

Contra: formæ adeo diuerſæ, à communi & generali cauſa [illegible] nor [illegible]poſſunt Deinde [illegible] aufertur omnis [illegible] à cauſis ſublunaribus.

Dices 3. cum Themiſtio, ſcaligero & ſennerto formas multiplicari non aliter atque ignis ab alio accenditur.

Contra : hoc debito ſenſu intellectum eſt verum. At non ſi formæ ſupponantur educi de nouo ſecundùm totum ſuum eſſe : præcipuè ſi ſupponantur eſſe indiuiſibiles ; nam hoc poſito, cuius erit anima ? an Patris ? an Matris ? deinde generatio nihil aliud eſſet, quam eiuſdem indiuidui multiplicatio ; eadem anima materialis eſſet in ſubiectis realiter diſtinctis ; in locis diſſitis, &c. Quid autem dicendum ſit in noſtra ſententia, ſuo loco dicetur. His igitur omnibus perpenſis atque conſideratis concludendum eſt opinionem aſſerentem formas materiales eſſe ſubſtantias totaliter diſtinctas à ſubiecto è quo educuntur, ſuſtineri non poſſe.

QVÆSTIO IV.

Quid reuera ſit forma phyſice ſumpta.

NOn tot ambagibus intricatam proponere decreui ſententiam, quæ ſufficiens erit reddendæ rationi quæſtionum omnium phyſicarum : vt clarius intelligatur quid de forma dicturus ſum, repeto hic, quod in metaphyſica dixi, cauſam materialem, ſiue materiam exqua fit aliquid, eſſe illud, ex quo inexiſtente aliquid fit ; atque adeo omnes compoſiti phyſici partes eſſentiales ſimul ſumptas, ſecundum eſſe entitatiuum eſſe adæquatam eius cauſam materialem : & ſic anima rationalis & corpus ſunt ea omnia phyſica quibus inexiſtentibus homo phyſice eſt ; atque adeo ſunt illius materia adæquata, non quod velim animam

animam rationalem eſſe materialem: neque enim componitur ex partibus, ſed quod ſit pars quæ cum aliâ comparte conſtituit hominem.

Partes eſſentiales ſunt illæ in quarum conſenſu & proportione conſiſtit ratio eſſentiæ, & ſine quibus non eſt tale compoſitum, partes verò integrantes ſunt illæ in quarum complexu conſiſtit integritas eſſentiæ: in rigore loquendo partes integrantes ſunt etiam eſſentiales tali compoſito, ſeu eſſentiæ, ſi non abſolutè ſumptæ, ſaltem vt integræ; quia non eſt integræ eſſentiæ ratio, ſi aliquid deſit integritati compoſiti eſſentialis, hoc eſt habentis vnam completam eſſentiam; quod enim deeſt compoſito, deeſt ipſius eſſentiæ phyſicæ; cum non diſtinguantur, quia tamen in illis minus præcipuè conſiſtit eſſentia, ideò vulgo aliquæ non eſſe de eſſentia dicuntur. His poſitis.

Dico primò, cum Gaſſendo, Carteſio, Digbæo, Magnano, Baſſone, & maximè cum antiquis philoſophis Empedocle, Democrito, Leucippo, &c. Compoſiti phyſici partes eſſentiales ſimul ſumptæ ſecundùm certam diſpoſitionem, conuenientiam, proportionem & harmoniam, quam inter ſe habent, ſunt adæquata forma.

Explicatur: cum illæ partes ſeſe inuicem ſibi communicant, habent communionem perfectionum & imperfectionum: nam anima rationalis, v. g. actuat corpus quod reciprocè aggrauat animam, Sap. 9. ſimiliter cum ignis atomi, aquæ, terræ, aëris ſeſe communicant habent communionem eandem: nam ignis communicat ſuam actiuitatem aliis à quibus eadem actiuitas temperatur. Sic propter illam mutuam communicationem ſeſe inuicem modificant & reducunt ad certam virtutis proportionem in qua conſiſtit ratio

eſſentiæ compoſiti phyſici; eodem modo quo in medicamento aliquo ex diuerſis ſimplicibus compoſito ſimplicia ſunt operatiua, ipſorum verò vnio harmonica eſt modificatiua actionis, id eſt, facit vt diuerſa ſimplicia ſeu ingredientia tali, vel tali modo operentur. Partes igitur ſimul ſumptæ, vt ſe habent inuicem, ſeu vt ſunt taliter inuicem contemperatæ, ſunt ipſamet harmonia & conuenientia, quod eſt eſſe formale, vnde forma in abſtracto, & metaphyſicè nihil aliud eſt, quam ipſa partium contemperatio & harmonia. Itaque

Probatur primò, auctoritate Ariſtotelis phyſic. lib.2. cap.3. Text.28. vbi ait formam eſſe rationem quidditatis, ſiue id in quo cuiuſque compoſiti eſſentia conſiſtit.

Dices Ariſtotelem ſic eſſe intelligendum, vt dicat formam eſſe id in quo compoſiti eſſentia conſiſtit præcipuè.

Contra: gratis ſic explicatur Ariſtoteles; neque enim eſſentia magis conſiſtit in vna parte quam in alia, ſed in omnibus ſimul ſumptis per modum vnius. Sic Magiſter ſententiarum lib.3. diſt.5. dicit formæ nomine naturam ſignificari, & pro ſe affert D. Auguſt. D. Hier. D. Hilar. & quidem adæquatam; ſic enim intelligi debet, vt legenti patebit, ſicque explicat illud D. Pauli, formam ſerui accipiens, id eſt, naturam ſerui.

Confirmatur primò, Ariſtoteles ibidem, vt explicet formam affert pro exemplo diapaſon, ſeu harmoniam & conſonantiam, quæ vulgo dicitur octaua, & conſiſtit in proportione dupla. Similiter forma debet educi, & fieri è materia, ſicut ſtatua ex ære; dictiones ex litteris; domus ex lapidibus; totum ex partibus; concluſio ex terminis præmiſſarum; hæc enim exempla ab ipſo Ariſtotele

Ariſtotele proponuntur: ſed ſtatua nihil eſt aliud quam partes taliter diſpoſitæ; dictiones nihil aliud ſunt quam litteræ ſic diſpoſitæ; domus nihil eſt aliud quam lapides ſic diſpoſiti: totum nihil eſt aliud, quam partes ſic diſpoſitæ; ergo forma nihil eſt aliud quam partes materiæ ſic diſpoſitæ, ſiue in abſtracto diſpoſitio partium, eo modo quo dicimus formam ſyllogiſmi eſſe aptam terminorum & propoſitionum diſpoſitionem, ſecundùm figuram & modum. Scio quidem diſcrimen eſſe inter naturalia & artificialia; ſed diſcrimen ſolùm eſt in eo quod ars extrinſecè diſponat partes, at verò natura intrinſecè; vnde, vt diximus, ars dicitur natura extrinſeca, & natura dicitur ars intrinſeca,& ſic conueniunt quoad operationem.

Confirmatur ſecundò, forma communiter ab omnibus poſt Ariſtot. dicitur quod dat eſſe rei, ſed forma ſumpta pro vna comparte non dat eſſe rei; ergo ſic ſumpta non eſt forma ab Ariſtotele definita, v. g. forma hominis eſt illud quod dat mihi eſſe hominem, ſed ſola anima non dat mihi eſſe hominem, neque etiam ſolum corpus dat mihi eſſe hominem, ſed anima & corpus ſimul vnita dant mihi eſſe hominem; ergo ſola anima non eſt forma adæquata, licet, vt mox dicam, ſit forma ſpecialis & principalis.

Confirmatur tertiò, ex Ariſtotele 2. phyſic. Text, 12. forma ſeparari non poteſt à materia, niſi ratione; atqui hoc conuenit harmoniæ partium; nequaquam enim talis harmonia ſeparari realiter poteſt à partibus, vt patet. Hoc autem non conuenit formæ Neotericæ; hæc enim pluſquam ratione ſeparari poteſt à materia, nempe realiter vt fatentur communiter Neoterici. Ex

quibus omnibus patet formam Neotericam incognitam fuiſſe Ariſtoteli, & nos cum Ariſtotele ſ[illegible]rire.

Probatur ſecundò, formæ ſic explicatæ conueniunt omnia quæ de forma dicuntur, abſque eo quod dicatur fieri de nouo ſecundùm totum ſuum eſſe; atque adeò cum non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate, ſufficiet, ſi formam, vt in concluſione explicuimus, admittamus: attamen quia in compoſito aliquæ ſunt partes actuoſiores & nobiliores aliis, aliam concluſionem ſubiungo, modò iſtam concluſerimus terminis D. Bonauenturæ, in 2. diſt. 7. art. 2. quæſt. 1. in fine: *Hæc igitur eſt ſumma poſitionis, quod agens creatum nullam quidditatem nec ſubſtantialem, nec accidentalem omnino producit, ſed entem ſub vna diſpoſitione facit eſſe ſub alia.* Quid clarius?

Dico ſecundò, compoſiti pars nobiliſſima eſt ſpecialis, tum ipſius compoſiti, tum compartium forma.

Explicatur & probatur: eſſe formam iuxta Ariſtotelem 2. phyſic. Text. 2. importat ſemper perfectionem; atque adeò nobilitatem; pars igitur nobilior ſe communicando aliis plus eis perfectionis confert, eas actuat & mouet; qualis eſt in homine anima rationalis, & ſic per ipſam compoſitum ſpecialiter perfectum eſt, pars verò minus nobilis, & minus actiua dici debet ſubiectum, quia plus recipit perfectionis, quam tribuat: ideóque plus habet de paſſiuitate, quam de actuoſitate. Similiter in brutis ſpiritus animales, vtpote pars nobiliſſima & actuoſiſſima, dici debent forma; quia motum imprimunt cæteris partibus, quæ idcirco dici debent ſubiectum: ideò in Sacra Scriptura anima dicitur eſſe in ſanguine.

Dices

Dices in homine eſſent duæ formæ, imò & tres: nam primo eſſet forma adæquata. Secundò, forma ſpecialis, ſcilicet anima rationalis. Tertiò, ſpiritus animales.

Reſpondeo, in homine ſpiritus animales non eſſe partem nobiliſſimam; atque adeò non debere dici formam ſpecialem: attamen non negabo debere dici formam ſubordinatam, ſubſeruientem & miniſtram animæ rationalis, in quo nulla eſt repugnantia.

QVÆSTIO V.

Quomodo reſpondendum ſit argumentis aduerſariorum.

OBiicies primò, cum Conimb. lib. 1. cap 9. quæſt. 10. art. 2. res naturales ſunt compoſitæ non ex materia dumtaxat; quia, cum hominis, lapidis, & leonis eadem ſit rationis materia, eadem foret omnium eſſentia & definitio. Habent igitur præter materiam proprias formas quibus differant inter ſe; quod ſi quis occurrat dicēs compoſita phyſica cōſtare ex materia, quæ ſit ſubſtantia, atque etiam ex forma, non tamen quæ ſit ſubſtantia, ſed accidens; is facilè confutabitur hoc modo. Materia eſt nuda potentia, & tamen eſt ſubſtantia; ergo & forma multò maiori iure ſubſtantia erit. Secundò, ſi forma eſſet accidens, nulla eſſet generatio ſubſtantialis: ſiquidem materia gigni non poteſt; inductio verò accidentium non eſt ſubſtantialis, ſed accidentaria generatio. Tertiò, vel ipſa compoſita naturalia ſunt accidentia, vel ſubſtantiæ: ſi accidentia, non igitur conſtituuntur ex materia, quæ ſit ſubſtantia:

ſi ſubſtantiæ, non ergo conſtant ex forma, quæ ſit accidens; alioqui, aut non ſubſtantia ex ſubſtantiis, aut non accidens ex accidentibus coaleſceret, quorum neutrum fieri poteſt.

Reſpondeo primò, hominis & leonis non eſſe eandem materiam; plus enim ignis requiritur in leone, quam in homine: ſed quia per minus vel plus non mutatur materia, ideò dico, eſto ſit eadem materia, non tamen eadem diſpoſitio materiæ, & reuera ſcamni, lecti, menſæ eadem eſt materia; attamen non eodem modo deſcriberes menſam, ac cathedram. Ex iiſdem characteribus fiunt omnes orationes, & tamen differunt inter ſe, vt patet in his duobus vocabulis AMOR, ROMA, habent igitur proprias formas quibus differant inter ſe, ſed non realiter diſtinctas à propriis ſubiectis propriáque materia.

Ad inſtantiam dico, materiam quidem eſſe puram potentiam, eo ſenſu quod ſecundum ſe ſpectata, nullam habet formam: hoc eſt, ſecundum ſe præcisè ſumpta, non habet illam contemperationem & harmoniam quæ conſtituit mixta. Igitur in forma materia, quæ eſt potentia pura eſt ſubſtantia; concedo antecedens; ergo à fortiori forma erit ſubſtantia; diſtinguo conſequens, forma abſtractiuè ſumpta pro diſpoſitione, vt ſic, nego conſeq. concretiuè ſumpta pro ipſis partibus materiæ ſic diſpoſitis, concedo conſeq. Deinde, eſſetne legitima conſequentia, ſtatuæ materia eſt ſubſtantia; ergo & forma ſtatuæ?

Ad ſecundam inſtantiam Reſp. Neg. ſequelam: nam ad hoc vt generatio ſit ſubſtantialis, ſufficit ſi terminus illius ſit ſubſtantia; atqui reuera eſt ſubſtantia: nam terminus eſt totum compoſitum; at totum compoſitum nihil eſt aliud quam partes

partes materiæ ſic diſpotæ & vnitæ. Ideò talis vnio & diſpoſitio dicitur eſſe ſubſtantialis, quia licet ſit accidentaria reſpectu materiæ, ſiue partium componentium, non tamen reſpectu totius compoſiti. Vnde à Titelmano lib.1. cap.12. forma dicitur communicare materiæ quodammodo eſſe accidentaliter,& compoſito dare eſſe ſubſtantialiter & eſſentialiter, & c.13. ab eodem comparatur imaginibus, quas impreſſio ſigilli relinquit in cera,quæ ſine dubio nihil aliud ſunt quàm partes ceræ taliter diſpoſitæ.

Ad tertiam inſtantiam, Reſp. compoſita naturalia eſſe reuera ſubſtantias materialiter, quia omnes partes ex quibus inexiſtentibus fiunt ſunt reuera ſubſtantiæ: attamen formaliter ſunt accidentia: nam reuera talis diſpoſitio eſt aliquid accidens, poteſt enim deſinere eſſe abſque eo quod pereat materia,reſpectu cuius eſt accidens, non reſpectu compoſiti,vt dixi.

Inſtabis: ipſa diſpoſitio in ſe,vel eſt accidens, vel non.

Reſpondeo, metaphyſicè loquendo eſſe accidens, at vero phyſicè & concretiuè eſſe reuera ſubſtantiam, vt dixi. Et in ſententia communi vnio non eſt ſubſtantia, licet ſecundùm quoſdam diſtinguatur à materia, & forma reſpectu quarum eſt accidens, & tamen conſtituit compoſitum naturale reſpectu cuius non eſt accidens, ſed aliquid eſſentiale.

Obiicies ſecundò, cum iiſdem ibidem: ſingulis rebus naturalibus aliquæ propriæ & peculiares functiones conueniunt, vt homini ratiocinari, equo hinnire,igni calefacere, &c. ſed huiuſmodi functiones oriri nequeunt à materiâ, quæ nullam effectricem vim habet; oriuntur ergo à ſubſtan-tiali

tiali formâ. Nec ſatisfaciet qui dixerit proficiſci è materia inſtructa accidentibus: quæro enim, cur iſthæc potius accidentia in hac materia, quam illa conſpiciantur; cur igni potius calor, quam frigus competat; cur aërem leuitas non grauitas ſequatur? cum igitur huius rei cauſa ad materiam referri non poſſit, tum quia ob inſitam inertiam, nudæque potentiæ ſterilitatem nullum ex ſe accidens profundit, tum quia cum vna atque eadem ſit in omnibus ſublunaribus, eadem iis omnibus accidentia promiſcuè ineſſent. Planè ſequitur talium accidentium originem ad formam ſubſtantialem vti ad ipſorum fontem referendum eſſe.

Reſpondeo illarum omnium operationum ſufficientem reddi rationem per formam adæquatam ſuperiùs explicatam; ex eo enim quod partes ſint taliter diſpoſitæ mutuam actionem contemperant: at per ſolam formam in ſenſu Neotericorum intellectam, vel etiam per ſpecialem ſuperius explicatam, non poteſt perfectè reddi ratio illorum omnium; licet enim reddi poſſit ratio, cur homo intelligat, quia habet animam, ſiue mentem; non tamen reddetur ratio, cur homo ratiocinetur, niſi afferatur adæquata forma, dicendo ſcilicet, quia eius anima, ſiue mens operatur dependenter à phantaſmate, ſic affertur tota eſſentia, ſcilicet corpus & anima, vt ſe habent adinuicem. Ad illud quod dicitur materiam nullam habere vim effectricem, ſiue actiuam: negatiuè reſpondeo: licet enim hoc verum ſit in ſententia aduerſariorum, at non in noſtra in qua atomi ſunt materia corporum ſublunarium; & nulla eſt atomus, quæ proprias actiones non habeat: licet inde pateat ſolutio inſtantiæ, Reſpondeo tamen, accidentia

accidentia plurima, nihil aliud eſſe, quam actiones ſubſtantiæ; cætera verò eſſe tantùm modos, vel attributa illius & diuerſa accidentia prouenire ex diuerſitate partium materiæ, in vno eſt plus ignis, verbi gratiâ, ideò plus caloris, in alio eſt plus aquæ, ideò plus frigoris. Sed de his cum de elementis.

Obiicies tertiò, cum Complutenſibus, &c. diſp.4. quæſt.1. num.3. Rebus omnibus naturalibus ab intrinſeco competit, quod ſint finitæ & determinatæ ad certam aliquam rationem; ergo ratione alicuius intrinſeci, & eſſentialis principij hanc limitationem habent; at hoc non poteſt eſſe materia, quia hæc eadem eſt in rebus quæ eſſentiâ & naturâ differunt; quandoquidem homo qui corrumpitur, & cadauer quod eo pereunte generatur eandem habent materiam; ſed neque accidentia talia principia eſſe queunt, vtpote quæ de intrinſeca entis naturalis ratione non ſunt; ergo præter materiam primam, aliud erit conſtituendum principium ſubſtantiale certam concedens naturam rebus naturalibus, quod nos formam ſubſtantialem nominamus.

Reſpondeo: Concedo primum argumentum, ad ſubſumptum: diſtinguo: determinatio ad certam ſpeciem non prouenit à materia ſecundùm ſe; præcisè ſumpta ſecundùm ſuum eſſe, Concedo antecedens; à materia ſumpta ſecundùm proportionem & harmoniam, quam partes ipſius habent inter ſe, Nego: & reuera ratio cur Petrus, v. g. ſit homo & reducatur ad talem ſpeciem, non eſt ſolùm, quia habet animam rationalem; ſola enim anima rationalis non conſtituit hominem; ſed quia habet animam rationalem, & corpus ſimul vnita: forma igitur eſt id per quod

corpus

corpus naturale eſt tale, ac talis ſpeciei adæquatè; aliàs forma totalis non eſſet cauſa formalis adæquata, ſicque requireret aliam, & tamen Ariſtoteles Metaph. 11. cap. aſſerit talem formam completam, non poſſe eſſe unicam compoſiti partem, ſed eſſe omnium per modum vnius ſumptarum partium eſſentialium proportionem. Ad exemplum de cadauere Reſpondeo non eſſe in cadauere eandem omnino materiã, ac in homine: deeſt primo anima quæ, cum ſit illud ex quo, inexiſtente fit homo, pertinet ad materiam illius, licet in ſe immaterialis ſit; deſunt etiam infinita prope multitudo ſpirituum animalium, atque vitalium.

Obiicies quartò, cum iiſdem ibidem, num. 4. certum eſt dari animam rationalem, quæ ſit vera forma hominis: ſic enim definitum eſt in Conc. Later. 3. ſub Leone decimo, ſeſſ. 8. & in Clementina vnica de ſumma Trin. ex quo ſequens probatio deducitur, quia ex poſitione animæ rationalis, tanquam formæ ſeparabilis à ſubiecto, rectè concluditur eſſe in entibus naturalibus aliquod ſubiectum ſubſtantiale, quod ſit incompletum in genere ſubſtantiæ, & aptum, vt informetur forma ſubſtantiali; ergo tale ſubiectum petit eſſe ſemper ſub aliqua ſubſtantiali forma: præcipuè, cum ſupra oſtenſum ſit eſſe ex ſe puram potentiam, nullam habens ſpecificationem, & ineptam, vt per ſe exiſtat; ergo cum non ſit proprium hominis, ſed in aliis rebus reperiatur, vt per ſe notum eſt, conſequens erit vt res omnes naturales, quæ conſtant illo ſubiecto, ſeu materia, debeant etiam conſtare actu, ſeu forma ſubſtantiali actuante illud.

Reſpondeo: concedendo animam rationalem eſſe

eſſe verè formam, ſed ſpecialem qualem explicuimus concluſione ſecunda ſuperioris quæſt. non verò adæquatam; aliàs eſſet tota eſſentia hominis, quod eſt falſum: nam corpus eſt etiam de eſſentia hominis. Ad illud, quod corpus humanum eſt ſubſtantia incompleta, quia ordinatur àd animam concedo totum, ſed inde non concluditur corpus in aliis animalibus eſſe aliquid incompletum; neque enim corpus illorum ordinatur ad aliam formam diſtinctam ab omnibus partibus corporis taliter diſpoſitis.

Dices illam ordinationem Dei eſſe aliquid extrinſecum corpori hominis, quod tamen ſecundùm ſe eſt ſubſtántia incompleta.

Reſpondeo: cum Diuo Hildefonſo lib. contra eos qui diſputant de virginitate, & parturitione B. M. non ex natura rerum diuinæ leges pendent, ſed ex diuinis legibus naturæ rerum, & leges manare probantur, & D. Ambroſ. in exam. lib. 2. cap. 3. ſermo Dei virtus naturæ eſt. Deinde corpus eſt quidem incompletum in ratione talis ſubſtantiæ, ſcilicet hominis, non verò in ratione ſubſtantiæ ſimpliciter; ſi enim per ſe non eſſet completum in ratione ſubſtantiæ, indigeret aliquo alio ad hoc vt eſſet ſubſtantia, & ſic per ſe non eſſet ſubſtantia, ſed accidens. Si igitur daretur aliquod corpus conſtructum ad ſimilitudinem corporis humani, illud reuera eſſet completum, ſi non ſubordinaretur ad aliquam aliam ſubſtantiam, vt vnà cum illa faceret aliquod compoſitum.

Inſtabis: ſi corpus ſecundùm ſe eſt completum in ratione ſubſtantiæ, ex illo & anima rationali non poteſt fieri vnum per ſe.

Reſp. negatiuè, nam ex verbo diuino omnino comple-

completo & humanitate fit vnum per ſe, dicere autem verbum eſſe incompletum, ſicut dicit Arriaga, quis ſuſtineret? vel dic eodem conſimili modo corpus eſſe incompletum, quo ille dicet verbum eſſe incompletum.

Miror autem Arriagam, qui argumentum, cui mox reſpondi legitimè concludere, negat, aſſerere aliter poſſe efficaciter ab homine ad alia compoſita argui, præſertim ad animantia; quia eodem modo, quo homo moritur, & illa moriuntur iuxta illud Salom. Eccle. 3. 19. *Vnus eſt interitus hominis & iumentorum & æqua vtriuſque conditio, ſicut moritur homo & illa moriuntur*. Sed ex morte hominis infertur dari formam ſubſtantialem, ex cuius ſeparatione oritur hominis mors; ergo ſimiliter inferretur forma ſubſtantialis animantium ex eorum morte. Sed Reſp. ſolitum eſſe his qui in philoſophia opiniones erroneas elegerunt, dum eas rationibus ſuſtinere nequeunt, ad authoritatem ſe conuertere, vt nomine ſcripturæ ſacræ formidoloſos terreant. Perperam igitur Arriaga vtitur ſcripturâ ſacra, docet enim Lorinus illa ex impiorum perſona dici negantium animæ immortalitatem ſicut cap. 2. lib. ſapien. idem aliis verbis dicitur, & pro illa explicatione citat Taumaturgum, Olympiodorum & D. Thomam 1. part. quæſt. 75. art. 6. ad 1. vel illud tantùm intelligi de corpore & laudat pro hac explicatione D. Hyeron. D. Bonauent. & Albinum. Par igitur hominis & equi conditio eſt, in hoc quod ſicut equus in morte reſoluitur in partes materiæ ex quibus conſtat, nec amplius remanet capax voluptatis; ita & corpus hominis reſoluitur, & in terram reuertitur: nec ex morte vllo modo inferri

ferri poteſt dari formam ſubſtantialem totaliter diſtinctam à ſubiecto è quo educitur.

Objicies Quintò, cum Hurtado phyſ. diſp. 4. ſect. 1. §. 4. aliquando aufertur eſſentia hominis & leonis; ergo deeſt aliqua hominis ſubſtantia, ſed non deeſt materia; ergo deeſt forma. Quod ſi dicas per interitum fieri in homine ſolam accidentium hominis mutationem, vrgeo ergo res non differunt eſſentialiter, ſed accidentaliter; nam homo albus eſt eiuſdem ſpeciei, ac homo niger; ergo homo & brutum ſunt eiuſdem ſpeciei, quod ipſi lumini naturali repugnat.

Dices formam hominis eſſe ſubſtantialem, cæteras verò accidentales, ſed hoc eſt abſurdum. 1. quia lapis & leo non ſunt eiuſdem ſpeciei. 2. quia tam ſunt indicia ad ſubſtantialitatem formæ leoninæ, quam ad humanæ. 3. quia ſequeretur vel materiam primam carere ex natura rei omni forma ſubſtantiali, vel hominem eſſe vnum per accidens: primum patet, quia in leone per te nulla eſt forma ſubſtantialis, & ſic ens eſſentialiter incompletum eſt ſine fine ſuo. Si verò dicas materiam eſſe ens completum, inde ſecundum ſequitur abſurdum, quia ex duobus entibus in actu non fit vnum per ſe.

Reſp. & ad primũ argumentum concedo. Deinde diſtinguo antecedens ſecundi: non deeſt materia tota, Concedo; aliqua pars, Nego, vel eſto antecedens, diſtinguo conſequens: deeſt forma adæquata, Nego; forma ſpecialis explicata eo ſenſu quo explicui in ſecũda concluſione ſuperioris quæſt. Cõcedo. Neque ideo dico formam hominis eſſe ſubſtantiam & animam bruti accidens; nam vel ſermo eſt de forma adæquata & vtraque eſt accidens, ſi ſumatur metaphyſicè & abſtractiuè; ſi verò con-

concretiuè

cretiuè & phyſicè, vtraque eſt ſubſtantia : vel ſermo eſt de forma ſpeciali, & vtraque eſt ſubſtantia. Nam in homine eſt anima rationalis, in equo ſunt partes nobiliſſimæ quæcumque illæ ſint & per hoc euaneſcit omnis virtus reliqui argumenti.

Objicies ſextò, cum Arriaga phyſ. diſp. 3. ſect. 1. num. 12. fides docet poſt verba conſecrationis deſtrui totam ſubſtantiam panis & ibi manere omnia accidentia panis ; ergo accidentia non ſunt partes ſubſtantiæ panis, alioqui non eſſet tota ſubſtantia deperdita ; ergo vltra accidentia dabitur aliquid aliud quod ſit ſubſtantia perfecta panis ; ſed hæc non eſt ſola materia, tum quia hæc eadem eſt in omnibus entibus : & ſi ipſa ſola eſſet panis, etiam lapis eſſet panis, quia habet eamdem materiam in ſpecie, tum quia ibi ponitur ſub eis ſpeciebus, materia prima ſcilicet corpus Domini exercens circa accidentia panis idem quod exercet ſubſtantia panis ſi eſſet, & conſequenter ibi maneret propriè panis, quia maneret materia prima & accidentia panis quæ conſtituunt ſubſtantiam panis adæquatè per ſe ; ergo ſubſtantia panis iuxta fidem aliquid aliud dicit à materia, & accidentibus panis diſtinctum, quod eſt forma ſubſtantialis ; ergo idem erit in reliquis entibus, quæ non minus habent ſubſtantiam, & accidentia quam panis & vinum.

Reſp. me explicuiſſe in metaphyſica quid eſſent accidentia Euchariſtica, quæ melius ſine dubio vocantur ſpecies iuxta phraſim Conciliorum & ſanctorum Patrum. Deinde, quantitas panis eſt accidens panis ; atqui ex ipſo Arriaga quantitas non diſtinguitur à materia ; ergo in Sacramento ſanctiſſimo altaris remanebit materia panis ; ſi verum ſit omnia accidentia panis remanere. Sequela

quela eſt contra fidem; ſed quidquid ſit de accidentibus,ad illud ſubſtantia perfecta panis non eſt ſola materia. Diſtinguo;vel per materiã intelligis illud omne ex quo inexiſtente fit panis,& ſic iterũ diſtinguo, non eſt ſola materia ſumpta vtcumque ſecundùm ſuam entitatem præcisè, Concedo;ſumpta ſecũdùm diſpoſitionem,proportionem & harmoniam quam partes illius habent inter ſe,Nego. Vel per materiam intelligis partes minus nobiles & quæ minus actiuæ ſunt, Concedo; ad illud, quod additur, in ſacramento eſſe materiam quæ eſt eadem ac materia panis, Reſp. materiæ partes aliter eſſe diſpoſitas in corpore ſancto Chriſti Domini ac in pane, & ſic nullo modo dici poteſt ibi eſſe panem.

Objicies 7. Cum Marco à Baudunio diſp. 5. phy. ſec. 1. vbi eſt ens naturale & ſubſtantiale ibi eſt forma, at in rerum natura eſt ens ſubſtantiale; ergo & forma. Probatur ma. Materia ſola vel materia cum ſolis accidentibus non poteſt facere compoſitum ſubſtantiale. Ratio eſt, quia ſi ſola ſumatur materia non erit compoſitum; in compoſito enim ſaltem duo debent eſſe vnita, ſi materia cum accidentibus,non erit compoſitum ſubſtantiale ſed accidentale; ergo ex compoſiti naturalis conſtitutione ſequitur eſſe formam in rerum natura. Deinde eſt potentia in rerum natura, quia datur materia quæ eſt pura potentia; ergo datur actus; quia relatiua mutuò ſe ponunt, potentia enim dicit relationem ad actum, at forma eſt actus; ergo datur forma.

Reſp. concedo primam argumentationem, ſi forma intelligatur aliquo ex modis quos tradidi; nam corpus naturale dicit formam, hoc eſt diſpoſitionem certam partium atque harmoniam in

qua ſemper eſt aliqua pars nobilior alterâ; ſed ad hoc non eſt neceſſe vt ponamus formam aliquam totaliter diſtinctam à ſubiecto è quo educitur. Secundam argumentationem concedo, etiam, modò per actum intelligatur forma eo modo quo mox explicui.

Objicies 8. cum Suare & fere cum omnibus: in quolibet compoſito debet dari aliquid quod ſit radix & principium omnium operationum & proprietatum quæ ſunt in tali compoſito v. g. in viuentibus, radix omnium operationum vitalium quæ reſtituat priſtinum temperamentum quando læſum fuit. Similiter in aqua debet dari talis radix; remotis enim agentibus calefactiuis, recuperat frigus amiſſum; talis autem radix non poteſt eſſe materia, quia de ſe eſt indifferens; ergo debet eſſe aliqua alia ſubſtantia quam vocamus formam, quod ſi quis dicat frigus quod remanet expellere calorem, non ſatisfacit; nam nulla eſt probabilitas; quia calor in aqua aliquando eſt valde intenſus; ergo non poteſt expelli à frigore remiſſo ipſi inhærente; ſed debet fieri per formam ſubſtantialem.

Reſp. me radicem illam omnium operationum explicuiſſe in reſponſione ad ſecundum. Quoad exemplum aquæ reſpondeo pro nunc ideo aquam reſtitui ſuo priſtino frigori, quia ſpiritus ignei ex illa euolant. Deinde in eodem toto radix, truncus, folia, fructus &c. eamdem habent vitam & tamen operationes valde diuerſas; ergo ex operatione non poſſunt aduerſarij efficaciter concludere formam neotericam, aliàs tot deberent admittere quot ſunt operationes diuerſæ: quod tamen ipſi nolunt. En quomodo ſoluantur facilè tot & tam longa argumenta; ne quid ſuperſit ſcrupuli, pla-

cet

cet adhuc ſubiungere aliquas obiectiones quæ fieri poſſunt contra noſtram ſententiam.

Objicies 9. Simile à ſimili generatur; ergo datur in cane v. g. forma generans potius canem quam ranam.

Reſp. quod ſimile à ſimili generetur prouenire ex ſimilitudine materiæ. Numquid ſol producit ſibi ſimilem, quando producit ranas & mures? Demum concedo totum, modò forma intelligatur, vt ego explicui; illa enim ſufficit.

Objicies decimò partes nec nutriri, nec operari, nec conſtare poſſunt niſi ſit aliquod commune vinculum; at illud non poteſt eſſe aliud quam forma.

Reſp. Nego minorem; ex partium enim coniunctione formam ſubſtantialem totaliter ab illis diſtinctam generari non probatur; nam pars arboris arida coniungitur cum parte viridi & tamen ex aduerſariis non habent formam communem quando diuerſa metalla connectuntur, non ideo habent eamdem formam. Neque 2. ex partium communione & alimenti diſtributione, vt patet in ramo inſerto arbori alterius ſpeciei. Deinde inter mundi partes talis eſt conſenſus & harmonia vt grauia ſurſum & leuia deorſum ferantur ſeruandæ vnitatis gratiâ; ergo vel datur cauſa communis, quæ hanc concordiam ſeruet, vel non; ſi primum, quid quærimus in ſingulis formam ſubſtantialem? hæc forma quæ vniuerſi partes connectit, non poterit vnius plantæ vel animalis partes connectere? ſi ſecundum, cur non poterunt partes vnius plantæ cohærere ſine forma ſubſtantiali communi tam bene quam partes vniuerſi?

Obiicies vndecimò, ſi forma debeat intelligi ſenſu à nobis expoſito, creaturæ nihil producerent

rent de nouo ; atque adeò ſolus Deus eſſet cauſa omnium effectuum , & nullum daretur agens naturale creatum.

Reſpondeo , creaturæ nihil producerent de nouo ſecundùm eſſe ſimpliciter, concedo : ſecundum tale eſſe nego. Et vt loquar cum D. Bonauent. in 2. diſt. 7. art. 4. quæſt. 1. creaturæ faciunt vt quod eſt vno modo, ſit alio modo. Vnde quia ipſæ non creant, præſupponunt ſubiectum , & ex illo ſubiecto educunt formas eo ſimili modo, quo pictor ſumens diuerſas colorum partes pingit tabellam, quæ ſine dubio de nouo facta dicenda eſt, non ſecundùm eſſe ſimpliciter, ſed ſecundùm tale eſſe , hoc eſt ſecundùm diſpoſitionem nouam colorum ; vel iterum diſtinguo , nihil producerent de nouo materialiter , concedo ; formaliter, nego.

Obiicies duodecimò , quando vulneratur enſe animal , vel venenum ſumit , ſeruat eandem partium harmoniam ; atqui non ſeruat formam ſuam; ergo harmonia non eſt forma. Probatur minor, ſtante forma animalis in corpore , viuit animal; atqui in caſu poſito , non viuit animal , ſed moritur ; ergo tunc animal non ſeruat formam ſuam.

Reſpondeo : Nego maiorem primi argumenti; licèt enim ad oculum fortè ſeruetur eadem harmonia , non tamen reuera ſeruatur ; ſicut cum in horologio demitur particula aliqua alicuius rotæ , videtur exterius eſſe eadem forma horologij, & eadem harmonia , & reuera non eſt. Igitur per vulnus , & quodlibet aliud interimens tollitur harmonia partium ; ceſſat enim influxus capitis, cordis, &c.

Obiicies decimotertiò, animal, v. g. equus eſt idem

idem hodie qui fuit tribus ante annis, & erit decem ab hinc annis; atqui non ratione materiæ, quæ eſt in continuo fluxu; ergo ratione alicuius formæ prorſus diſtinctæ à materia; ſicut anima rationalis eſt diſtincta à corpore.

Reſpondeo, equum non eſſe ſemper omnino eundem phyſicè loquendo, ſed tantùm moraliter, & ad ſenſum; nec aliter dicendum eſt in ſententia aduerſariorum; quoniam materia ſemper fluit, quæ tamen eſt de eſſentia. Vnde igitur non colligitur aliqua forma ſimilis animæ rationali: nam aliàs forma materialis migraret de ſubiecto in ſubiectum, cum trãſiret in materiam de nouo acquiſitam. Deinde cum ad aggeneratam carnem forma extenderetur, & à parte carnis conſumpta ad remanentes retraheretur, forma illa materialis moueretur per ſe; quia nulla tunc corporis pars moueretur, & tamen Ariſtoteles lib. 1. de anima vult animam non eſſe mobilem per ſe, ſed tantùm per accidens, & ad motum corporis. Prætereà viuit ramus abſciſſus, & pars ſerpentis abſciſſa; ergo anima eorum erat diuiſibilis, & concludendum eſt eſſe etiam in continuo fluxu; imò idem dicendum de formis etiam animalium perfectorum in ſententia Scotiſtarum, & aliorum quamplurimorum, qui eas eſſe diuiſibiles ſuſtinent.

Obiicies decimoquartò, dum ex ligno generatur ignis, vel totum lignum remanet, vel totum perit, vel partim perit, & partim remanet: non primum, vt patet oculis, non ſecundum, aliàs eſſet annihilatio; ergo tertium; ergo datur forma quæ pereat, materia enim perire nequit vi agentium naturalium.

Reſpondeo, totum aliquando ſumi adiectiuè, nempe pro omnibus partibus, ſiue coniunctis, ſiue ſepara-

ſeparatis, vt cum dicitur totum vinum effracto dolio effuſum eſt; aliquando pro partibus quatenus vnitis, ſeu pro compoſito ex partibus certo modo coniunctis; & tunc dicitur ſubſtantiuè ſumi, ſic partium vnione ſoluta totum deſtrui dicitur. Itaque lignum totum, vt totum ſubſtantiuè ſumitur, perit: omnes tamen partes eſſentiales ſuperſunt, atque adeò totum adiectiuè ſumptum remanet; ſic ſeparatione litterarum ipſius vocabuli, Amor, totum vocabulum deſtruitur.

QVÆSTIO VI.

Quotuplex ſit forma in compoſito ſublunari.

PLures ſunt opiniones notabiles circa prædictam quæſtionem; ſed omnes proueniunt ex eo quod formas materiales admiſerint totaliter diſtinctas à materia, ſeu à ſubiecto è quo educuntur. Prima igitur ſit quorundam antiquorum Philoſophorum, tot eſſe formas realiter diſtinctas, quot ſunt prædicata eſſentialia, ſeu quot gradus metaphyſici.

Secunda eſt Scoti & Henrici admittentium formam quandam corporeitatis, quæ corpus conſtituat, & ſic corpus hominis, & idē dic de corpore leonis, ante aduentum animæ, & poſt receſſum illius eſt cōpoſitum ex materia, & illa forma corporeitatis. Henricus illam admittit in ſolo homine, Scotus verò in omnibus viuentibus, Cauellus tamen in ſuo ſupplemento, ſect.4. ita illam explicat, vt nihil aliud ſit quam collectio omnium formarum partialium, & ſic iſta opinio cum ſequenti coincideret.

Tertia

Tertia eſt Pauli Veneti,& multorum recentiorum,qui dicunt in cōpoſito tot eſſe formas quot ſunt partes heterogeneæ: ideò vocant illas formas partiales; eſt igitur in corpore forma oſſis, forma carnis, forma nerui, &c. & illas vocant miniſtras & ſubſeruientes: quia formæ principali, ſiue totali inſeruiunt ad ſubeundas operationes toti competentes.

Quarta eſt quorundam recentiorum, qui cum nolint admittere formam corporeitatis, nec formas partiales, dicunt, quando interit homo, aut animal aliquod, generari de nouo formam aliquam cadauericam. Has opiniones examinabimus; & quidem breuiter: nam vno ictu concidunt omnes, hoc ſcilicet argumento, non dantur formæ totaliter diſtinctæ à ſubiecto è quo educuntur; ſed illæ omnes formæ ſupponuntur educi de materia, & tamen ab illa totaliter diſtingui; ergo non dantur.

Dico primò, improbabilis eſt omnino prima ſententia.

Probatur: nam gradus metaphyſici non diſtinguuntur realiter, & cum quælibet res poſſit infinitis prope modis conſiderari, habet infinita prope attributa; atque adeò infinitas prope formas phyſicas. Sic daretur forma veri, forma boni, &c. & hoc etiam in materia ſecundùm ſe ſpectata: nam ipſa eſt ens, materiam autem ſecundùm ſe ſpectatam habere formas eſt contra ipſos aduerſarios.

Dico ſecundò, non datur forma corporeitatis intellecta, vt ſit diſtincta à ſubiecto è quo educitur. Probatur argumento generali ſupra poſito.

Obiicies primò,corpus eſt compoſitum ex materia & forma; atqui generans producit corpus;

ergo producit compoſitum ex materia, & forma corporeitatis; mutatio enim ad animam rationalem eſt à ſolo Deo.

Reſpondeo: corpus eſt compoſitum ex materia & forma intellectis eo ſenſu quo explicui, in quæſt.4. & ſic euaneſcit omnis vis argumenti; generans igitur corpus producit, quia multas materiæ partes congregat & vnit ſecundùm quantam proportionem, & harmoniam.

Obiicies ſecundò, anima intellectiua non poteſt dare eſſe corporeum & extenſum, cum ipſa ſit inextenſa; limitatio autem quantitatis non eſt à materia, ſed à forma, quæ requirit tantam materiam; non enim forma bouis poteſt informare corpus formicæ.

Reſpondeo, limitationem quantitatis prouenire ab ipſa materia; ex eo enim quod ſint tot partes materiæ, & non penetrentur, illa materia eſt tanta: prouenit autem determinatiuè à cauſa efficiente, imò etiam & à forma intellecta ſenſu noſtro, cui omnia conueniunt, quæ obiici poſſunt. Idem dic cum proportione de formis partialibus, & vt ſententia noſtra clarius pateat.

Dico tertiò, dantur formæ partiales ſic intellectæ, vt nihil aliud ſint, quam variæ diſpoſitiones partium materiæ ex quibus conſtant, atque adeò datur forma corporeitatis ſumpta pro collectione formarum partialium ſic intellectarum.

Probatur, quia alia eſt diſpoſitio materiæ in oſſe, alia in carne, alia in neruo, &c. ergo.

Dices primò, carnem differre tantùm ab oſſe accidentaliter, & non ſubſtantialiter.

Contra: gratis hoc dicitur, cum diuerſitatem ſubſtantiæ non colligamus, niſi ex diuerſis accidentibus; quare enim aduerſarij ponunt diuer-

ſam

ſam formam in ramo ſicco, ac in viridi cum quo connectitur, niſi quia vident in eis diuerſitatem notabilem & conſtantem accidentium?

Dices ſecundò, diuerſitatem accidentium, quantumvis notabilem, non arguere diuerſitatem formarum in eodem ſuppoſito, bene tamen in diſtincto; ſic partes marmoris ſunt valdè diuerſæ accidentaliter, & tamen habent eandem formam.

Contra: ſiue in eodem, ſiue in alieno ſuppoſito ſemper diuerſitas accidentium notat diuerſam diſpoſitionem partium materiæ. Quoad marmor nullus ferè negat habere formam diuiſibilem, atque adeò quælibet pars habet partem formæ, & quidem diuerſam pro diuerſitate accidentium.

Obiicies primò, vbi eſt vnica forma, eſt vnicum corpus; ergo, vbi erunt plures formæ, erunt plura corpora; ſed in quolibet viuente ſunt tot formæ quot partes; ergo etiam tot corpora, quot partes.

Reſpondeo, corpus non eſſe vnum vnitate ſimplicitatis, ſed vnitate compoſitionis. Deinde pluralitas formarum non obſtat vnitati entis, modò vna ſit vltima ad quam cæteræ ordinentur.

Obiicies ſecundò, cum Caietan. ſequeretur idem eſſe & fieri.

Reſpondeo, idem eſſe & fieri per eandem formam, Nego; eſſe primam formam corporeitatis, & fieri per aduenientem animam rationalem, Concedo: in hoc nulla eſt contradictio.

Obiicies tertiò, quod aduenit enti completo facit vnum per accidens cum illo; atqui anima rationalis adueniret enti completo per formam corporeitatis.

Reſpondeo, me ſoluiſſe difficultatem alibi, ſed adhuc diſtinguo maiorem : quod aduenit enti vltimatè completo, Concedo ; non vltimatè completo, Nego ; & cum proportione diſtinguo minorem.

Obiicies quartò, generatio vnius eſt corruptio alterius, & vice verſa ; ergo quando producitur anima rationalis, corrumpuntur aliæ formæ, & quando recedit, debet generari noua forma; atque adeò non datur forma corporeitatis, quæ ſit ante aduentum animæ, & remaneat poſt illius receſſum.

Reſpondeo, illud axioma non eſſe vniuerſaliter verum, etiam in ſententia aduerſariorum, vt patet de lumine quod non præceditur ab alia forma, nec poſt illud alia producitur. Item ex ſcientia cum non præcedit error poſitiuè oppoſitus. Deinde, quando Ariſtoteles ſtatuit illud axioma, intendit probare æternitatem generationum ſine infinita materia. Cæterum poſt corruptionem vnius ſequitur generatio alterius ; corpus enim mortuum tendit ad alias formas, dum paulatim reſoluitur.

Obiicies quintò, animam rationalem vniri poſſibile eſt materiæ ſecundùm ſe denudatæ omni forma ; ergo fruſtra requiruntur aliæ formæ.

Reſpondeo cum Cauell. vel hoc impoſſibile eſſe, vel dicendum quod non conſtitueret animal, quia ad conſtitutionem animalis phyſicè requiritur corpus organiſatum.

Dico quartò, non datur forma cadauerica.

Probatur primò, illius formæ nulla aſſignari poteſt cauſa, niſi aſſignetur Deus ipſe, ad quem pro reſolutione difficultatum recurrere ſolent aduerſarij valdè pij, valdè deuoti : ſed Deus, vt author

thor naturæ agit tantùm ſecundùm exigentiam diſpoſitionum ; quæ autem diſpoſitiones eſſe poſſunt in corpore ad illam formam cum moritur homo fune , enſe , cordis , aut cerebri læſione leuiſſima , paruulâ arteriæ punctione , &c. Deinde eademne forma introducitur per omnes cauſas per quas mori poteſt homo?an diuerſa pro diuerſitate cauſarum ? ſine dubio neutrum dici poteſt commodè, vt conſideranti patebit.

Probatur ſecundò , in triduo mortis Chriſti Domini , vel forma fuit producta de nouo , vel non : ſi ſecundum ; ergo forma corporeitatis remanſit , ſiue collectio formarum ſubſtantialium; ſi primum, ergo fuiſſet vnita diuinitati, & iterum relicta in reſurrectione quod dici non debet.

Dices Verbum aſſumpſiſſe ſolùm materiam organiſatam, non autem illam formam. Reſpondeo per formam corporeitatis me nihil aliud intelligere præter materiam organiſatam. Deinde ſanctus Leo ſerm.1.de Aſcenſ.Domini,cap.3.ait eandem naturam conſedere in patris throno , quæ iacuit in ſepulchro ; ergo , ſi forma cadauerica fuiſſet vnita materiæ Chriſti Domini , vt cum illa faceret vnum per ſe , ſeu naturam, rectè concludi poſſet illam formam eſſe adhuc in cœlo ; quod eſt abſurdum.

QVÆSTIO VII.

Quomodo reſpondendum aliis quæſtiunculis, quæ fieri ſolent de forma.

QVæres primò, an forma ſit tota eſſentia.

Reſpondeo : ſi quæſtio inſtituitur de forma adæquata,forma eſt tota eſſentia ; forma enim

ſic intellecta nihil eſt aliud, quam omnes partes compoſiti ſecundùm proportionem, & conuenientiam quam habent inter ſe; ſi verò quæſtio inſtituatur de forma ſpeciali, ſeu de parte nobiliſſima, non eſt tota eſſentia, vt patet; pars enim non poteſt eſſe totum, & quoad hominem: Probatur, quia, vt ait D. Athanaſius, anima & caro vnus eſt homo.

Obiicies: de fide eſt nos reſurrecturos eoſdem, qui nunc ſumus; ſed in multis non erit idem corpus; ſubſtantia enim vnius corporis tranſit in ſubſtantiam alterius, vt in Antropophagitis.

Reſpondeo, nos reſurrecturos eoſdem ſecundùm animam, at verò ſecundùm corpus quantum fieri poterit, Deus autem ſupplebit defectum partium, quæ tranſierint in ſubſtantiam aliorum; vel etiam poſſet dici eandem ſubſtantiam fore in pluribus; neque enim illud eſt impoſſibile. Demum certum eſt nos reſurrecturos in eadem carne, at quomodo? Deus ſcit.

Quæres ſecundò, àn forma poſſit exiſtere ſine materia.

Reſpondeo, ſi quæſtio inſtituatur de forma adęquata, neque etiam diuinitùs forma poteſt exiſtere ſine materia, quia aliquid non poteſt eſſe ſine ipſo. Si verò de forma ſpeciali, poteſt exiſtere ſine materia, ſaltem ſupernaturaliter. Dixi, ſaltem: nam anima rationalis, quæ eſt forma ſpecialis, exiſtit etiam naturaliter ſine ſubiecto, imò & materia poteſt exiſtere ſine vlla forma, abſque vllo miraculo, ſi detur aliquòd elementum purum.

Quæres tertiò, an impoſſibile ſit formam corruptam reproduci.

Reſpondeo, nullam afferri rationem naturalem conuincentem ad probandam illam impoſſibilitatem:

tatem: dici tamen poteſt, perdifficile eſſe, vt partes alicuius corporis iam ſolutæ iterum congregentur & eodem, quo olim, modo diſponantur. Sic à priuatione ad habitum non datur naturaliter regreſſus: rationes autem, quæ communiter afferuntur, petuntur ex bonitate Dei, quæ ita magis elucet, vt ſemper nouæ producantur; ſed, vt dixi, non ſunt demonſtratiuæ.

Quæres quartò, vtrum eadem materia poſſit informari duplici forma, ſimul & ſemel.

Reſpondeo, ſi quæſtio inſtituatur de forma adæquata, illud non poſſe fieri naturaliter; neque enim eadem materia poteſt ſimul & ſemel habere diuerſas diſpoſitiones naturaliter: attamen ſupernaturaliter illud poſſibile eſt: nam eædem partes materiæ poſſunt eſſe in diuerſis locis, & in quolibet variè diſponi, in quo nulla apparet repugnantia. Si quæſtio inſtituatur de forma ſpeciali, eodem modo Reſpondeo; neque enim repugnat duas animas rationales informare idem corpus humanum, & duplicem quantitatem ſpirituum animalium eſſe in eodem corpore leonino.

Quæres quintò, vtrum eadem forma poſſit informare duplicem materiam.

Reſpondeo, ſi de forma adæquata ſit quæſtio, illud non eſſe poſſibile; quia forma adæquata nihil eſt aliud quam harmonia partium, quæ, cum non diſtinguatur à partibus, patet eandem omnino harmoniam non eſſe in pluribus materiis. Si verò de forma ſpeciali, Reſpondeo affirmatiuè; eadem enim anima rationalis, verbi gratiâ, eſſe in pluribus corporibus non repugnat. Idem dic de forma ſpeciali brutorum in quocunque conſiſtat.

Quæres ſextò, vtrum forma exiſtat per materiam.

Reſpondeo, ſi quæſtio ſit de forma adæquata, ipſa exiſtit per materiam: nam diſpoſitio partium non poteſt exiſtere, niſi per ipſas partes, vnde reſpectu materiæ eſt accidens, vt ſupra dixi. Si verò de ſpeciali, hæc habet exiſtentiam propriam, ſicut habet eſſe proprium diſtinctum à materia ſpeciali, v.g. anima rationalis non exiſtit per exiſtentiam corporis, ſed per propriam.

ARTICVLVS V.

De Compoſito.

Ex dictis in ſuperiori articulo patet compoſitum, & formam adæquatam eſſe vnum & idem; fieri verò ex eo quod partes ſimul inuicem vniantur ritéque diſponantur, quæcunque illæ ſint. Quapropter de vnione ſimul, & de compoſito hic agendum venit. Sit igitur

QVÆSTIO I.

Quid ſit vnio.

Dico primò vnio, generaliter, nihil eſt aliud quam nexus extremorum inter ſe; at verò vnio compoſiti naturalis eſt nexus partium, ex quibus compoſitum naturale conſtat.

Explicatur: prima definitio eſt adeo clara, vt nulla indigeat explicatione, quod etiam dici deberet de ſecunda, niſi aduertendum foret me vti nomine partium, non verò materiæ & formæ, vt tollatur

tollatur æquiuocatio; forma enim & etiam materia vel eſt adæquata, vel ſpecialis: forma autem adæquata, propriè, non vnitur materiæ adæquatæ: de forma ſpeciali dici quidem debet, quod vniatur materiæ ſpeciali, ſed quia & materia & forma materialis habent partes vnitas, ideo generaliter dicere volui, vnionem eſse nexum partium, quæcumque illæ ſint, nexum autem eſse modum fatentur omnes, volunt tamen neoterici quidam modum eſse aliquid ita diſtinctum diſtinctione reali minori, vt ſit entitatula quædam ſuperaddita, vt explicuimus in metaphyſica; & licet ſufficerent rationes illic appoſitæ contra illam ſententiam, placet tamen hic illas applicare vnioni & peculiares adducere.

Dico 2. Vnio non eſt entitas ſuperaddita partibus.

Probatur 1. Illud ſuperadditum vel eſt ſubſtantia vel eſt accidens, eo modo quo aduerſarij intelligunt accidens: ſi primum, vnio exiſteret per ſe; atque; atque adeo poſſet ſeparari ſaltem diuinitus, quod non concedent aduerſarij; & ſi quis concederet, vrgeri deberet dicendo, quandoquidem poteſt ſeparari, debere dari aliquod per quod vniatur cum partibus; eſſet enim ſecundùm ſe indifferens & ſic daretur progreſſus in infinitum. Si ſecundum, ſic Argumentor. Totum ſubſtantiale conſtituitur per vnionem; ſed vnio eſt accidens; ergo totum ſubſtantiale conſtituetur per accidens.

Dices eſſe aliquid ſubſtantiale, ſeu aliquid pertinens ad ſubſtantiam.

Reſp. illud ſubſtantiale vel exiſtit per ſe vel non exiſtit per ſe, ſed per aliud: ſi primum, eſt ſubſtantia; ſi ſecundum, eſt accidens. Deinde

vel pertinet ad ſubſtantiam tanquam aliquod intrinſecum complementum, vel tanquam aliquod extrinſecum: ſi primum, eſt ſubſtantia, eſt enim pars illius; ſi ſecundum, eſt accidens, omne enim extrinſecum eſt accidens.

Dices ſecundò, eſſe partem vt quò, non vt quod.

Reſp. num illa pars exiſtat per ſe vel per aliud? & ſic redit idem argúmentum.

Probatur ſecundò, illa entitatula ſuperaddita eſt ſuperflua; ergo non eſt admittenda: iuxta illud, non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Probatur antecedens: illa entitatula ponitur tantum ad tollendam indifferentiam quam habent partes vt vniantur vel non vniantur; ſed talis indifferentia tollitur ſine illa entitatula; ergo illa entitatula eſt ſuperflua. Probatur minor. Indifferẽtia tollitur formaliter per poſitionem illius ad quod eſt indifferentia, vnde ſi ponatur talis pars eſſe cum alia compatte, iam non eſt amplius indifferens & maximè in ſententia aduerſariorum, in qua materia & forma ſeſe inuicem appetunt. Itaque vt exemplo familiari vtar, ſicut qui petit calamum ad ſcribendum indifferens eſt ad quemlibet calamum & per exhibitionem iſtius tollitur indifferentia; ita materia, quæ de ſe indifferens eſt ad plures formas, determinatur ad iſtam per poſitionem illius.

Dices: non ſufficit poſitio formæ in materia v. g. animæ rationalis in corpore nec partis corporis cum alia parte, etiam cum indiſtantia; ergo nulla ſolutio. Probatur antecedens: poteſt poni anima Petri in corpore Pauli & tamen non vniri cum illo; ſimiliter vna pars corporis iuxta aliam partem, & tamen non vniri; poteſt enim Deus

impedire

impedire illud, quamvis adeſſent omnes diſpoſitiones; ergo debet aſſignari aliqua entitas diſtincta ab illis omnibus.

Contra: quoad vnionem continuatiuam, illa non conſiſtit in mera præſentia vnius partis iuxta aliam; ſed præterea addenda eſt alligatio, ſiue implexio vnius partis cum alia; puncta enim phyſica propter varias figuras, quas habent, facile inuicem implicantur: talis autem implexio ſufficit ad verificanda omnia, quæ de continuo dicuntur; ergo alia entitatula eſſet ſuperflua. Quoad vnionem informatiuam etiam non eſt mera præſentia, ſed præterea communio perfectionum & imperfectionum, ratione cuius vna pars ſibi appropriat alteram cum mutua aliqua dependentia; impoſſibile autem eſt eſſe illam communionem & non eſſe vnionem.

Inſtabis ſecundò, quid eſt illa communio perfectionum & imperfectionum? eſt-ne ſubſtantia vel accidens?

Reſpondeo metaphyſice & abſtractiuè eſſe accidens; phyſicè verò & concretiue eſſe ſubſtantiam; nihil enim aliud eſt quam partes vt ſe habent inuicem & inuicem in ſe ipſas agunt. Si inſiſteres petendo quid ſit illud, vt ſe habent inuicem, nunquid deberem dicere, importare quamdam vſitatem? igitur termini illi ſunt adeo clari vt fruſtra quærerentur alij quibus explicarentur.

Inſtabis tertiò, Verbum vniri cum humanitate ſanctiſſima & tamen humanitas nihil agit in ipſum.

Reſpondeo non vniri vnione informatiua ſed tantum hypoſtatica quæ quid importet ſatis ſuperque pro philoſopho explicui in metaphyſica.

Probatur tertiò, ſequeretur dari progreſſum

in infinitum. Probatur ſequela: ſicut requiritur vnio diſtincta vt anima vniatur cum corpore; ita etiam vt prima vnio vniatur cum partibus requireretur ſecunda & ſic in infinitum.

Dices vnionem per ſuam entitatem vnire partes adinuicem & ſe ipſam illis; & diſcrimen eſt, quia partes poſſunt exiſtere & non vniri; at verò vnio non poteſt exiſtere & non vniri, quia eſt modus.

Reſpondeo, gratis dici vnionem non poſſe exiſtere ſine partibus, poſito quod ſit entitas totaliter diſtincta ab illis; quid enim poſſunt partes conferre in vnionem, quod non poſſit ſuppleri à Deo in genere cauſæ efficientis, vt diximus in metaphyſica, cum de modis in genere ageremus. Deinde, eſto; vnio ſit affixa talibus partibus, tamen ipſæ partes ſunt indifferentes vt vniantur cum ipſa, nam anima mea & corpus meum habebunt in reſurrectione aliam vnionem ac nunc habeant, vt dicunt aduerſarij; ergo debet tolli talis indifferentia per aliam vnionem, vt corpus meum determinetur ad vnionem quam nunc habet. Si dicas determinari ab agente ad hanc vnionem, Reſp. determinari tantum extrinſece & efficienter, non verò formaliter, & ſi talis determinatio extrinſeca ſufficiat, idem dicam quoad formam; quia par eſt vtriuſque ratio.

Probatur quartò, illa entitatula vel recipitur in vna parte vel in ambabus: non primum, quia non eſt potior ratio, cur recipiatur in vna parte, quam in alia; maximè cum ambæ ſint eiuſdem naturæ: non ſecundum, nam vel eſſet vnica vel multiplex; ſi vnica, ergo eſt in duobus locis, ſaltem ſi de continuatiua ſit quæſtio; ſi duplex, per quid vniuntur iſtæ duæ? an per ſe? an per aliud?

aliud? ſi per ſe;dic idem de partibus : ſi per aliud, erit progreſſus in infinitum. Si dicat aliquis vniri per ſe,quia hæc eſt eſſentia illarum , dic etiam frigidè, hanc eſſe eſſentiam formæ vt vniatur per ſuam entitatem.

Dices,ſi vniretur per ſuam entitatem, vniretur eſſentialiter ; atque adeo non poſſet eſſe non vnita.

Contra : licet ego ratiociner per meam eſſentiam & entitatem , non tamen ratiocinor eſſentialiter; poſſum enim ceſſare à ratiocinatione , quando ſcilicet dormio , ſed ſemper habeo rationabilitatem.

Probatur quintò , vnio formaliter conſiſtit in receptione & actuatione , de informatiua loquor; ſed materia per ſe ipſam recipit formam & forma viciſſim per ſe ipſam actuat materiam; ergo per ſe ipſas conſtituunt vnionem.

Obiicies primò, illa diſtinguntur quorum vnum poteſt exiſtere alio non exiſtente ; atqui non exiſtente vnione poſsunt exiſtere partes ; ergo vnio diſtinguitur à partibus ; quando enim moritur homo remanet anima & materia & perit vnio.

Reſpondeo, diſtinguo maiorem. Si vtrumque extremum ſit abſolutum , Concedo. Si alterum ſaltem ſit relatiuum, Nego. Deinde quando ſeparatur anima , non amplius remanet communio quam debet habere cum corpore,in qua principaliter conſiſtit vnio.

Obiicies ſecundò , omnis nouæ denominationis nouum debet dari fundamentum ; ergo,quando partes de non vnitis fiunt vnitæ , debet aſſignari aliquod fundamentum ; ſed non poteſt eſſe aliud quam vnio.

Reſpondeo, fateor vnionem eſſe illius denominationis

nationis fundamentum, ſed nego eſse aliquam entitatem diſtinctam, illiſque ſuperadditam, Illa autem vnio eſt mutua participatio perfectionum & imperfectionum & actionum, quæ aduenit, cum vniuntur, & ceſsat, cum ſeparantur.

Obiicies tertiò, implicat in ipſis terminis manere eſsentiam rei & non manere ipſam rem; ſi igitur tota eſsentia vnionis conſiſtit in entitate materiæ & formæ, manente tali entitate maneret vnio, quod tamen eſt falſum.

Reſpondeo, vnionem non conſiſtere in entititatibus materiæ & formæ ſimpliciter ſecundùm ſe ſpectatis, ſed in ipſis vt inuicem communicatis & vt ſe habent inuicem; vnde D.Bonau.lib.3. diſt. 21. art. 1. quæſt. 3. ait vnionem eſse relationem vnitorum, ſed relatio non eſt entitas ſuperaddita relatis; ergo vnio non eſt entitas ſuperaddita partibus.

Obiicies quartò, ſi vnio non ſit entitas diſtincta à partibus, ſequitur hominem non poſſe dici generare filium ſuum. Probatur ſequela, quia nihil produceret; non enim produceret materiam, neque animam rationalem, ergò nihil.

Reſpondeo, hominem dici generantem, quia terminus ab illo productus eſt totum compoſitum: & ſufficit quod attingat vnionem in quocumque illa conſiſtat; quod facit, quatenus per ſuam actionem efficit vt materia ſit apta & idonea ad recipiendam in ſe animam.

Quæres quotuplex ſit vnio in quolibet compoſito.

Reſpondeo, illam quæſtionem in noſtrâ ſententiâ locum non habere. Attamen reſponderi poſſet, in quolibet compoſito eſſe vnicam vnionem, non quidem ſimplicem, ſed compoſitam ex tot

vnionibus

vnionibus partialibus, quot ſunt partes, vnitæ; quia vnio non diſtinguitur ab illis, ſed identificatur cum illis: nec puto aliam requiri reſponſionem, & quamvis eſſet entitas diſtincta & ſuperaddita, non tamen dicenda eſſet vnica vnitate ſimplicitatis. De continuatiua hoc patet; ſi enim totum mare habet vnicam vnionem, quando auferretur vnica gutta, deperiret vnio, & ſic mutaretur totum mare. Quoad informatiuam; illa vel eſſet materialis, & ſic non poſſet ſubiectari in animâ rationali; vel eſset ſpiritualis, & ſic non reciperetur in corpore; receptum enim debet eſse proportionatum recipienti. Sed quid ad nos, qui vnionem diſtinctam & ſuperadditam non admittimus?

QVÆSTIO II.

An compoſitum diſtinguatur à ſuis partibus.

NVlli dubium eſt, totum ſeu compoſitum diſtingui realiter à ſuis partibus ſigillatim ſumptis diſtinctione includentis ab incluſo: ſic homo diſtinguitur ab anima. Neque etiam dubium eſt, quin diſtinguatur ab omnibus partibus ſine vnione conſideratis, cum formaliter dicat partes vnitas inter ſe. Quæſtio igitur eſt, an totum dicat quamdam entitatem realiter diſtinctam à materia & forma ſimul vnitis; ita vt homo quatenus compoſitum naturale, non ſit corpus & anima rationalis ſimul vnita, ſed tertia quædam entitas ab iis diſtincta, vt Scotiſtæ & quidam alij exiſtimant.

Dico primò, totum non eſt entitas diſtincta realiter à partibus vnitis.

Probatur : illa entitas vel eſt ſimplex vel compoſita : non ſimplex , cum in illa dicatur conſtitui compoſitum ; ſi compoſita ex partibus , iterum quæram , num diſtinguatur ab illis ? ſic dabitur progreſſus in infinitum.

Probatur ſecundò , ſi compoſitum ſit entitas diſtincta à partibus vnitis , partes vnitæ non erunt de compoſito , quod eſt abſurdum , & cum illa entitas ſit poſterior partibus vnitis , & ex illis reſultare dicatur , quidni poterit Deus impedire reſultantiam illius , ſicut poteſt impedire ne frigus ex aqua reſultet , ad hoc enim ſufficit quod concurſum ſuum illi deneget , cum ſine illo produci vel exiſtere nequeat ? tunc partes eſſent vnitæ & non eſſet totum , quod eſt abſurdum.

Obiicies primò , compoſitum eſt vnum per ſe; ſed partes non ſunt vnum per ſe ; ergo partes diſtinguntur à compoſito.

Reſpondeo : Nego minorem, partes enim vnitæ ſunt vnum per ſe ; alioqui non eſſent vnitæ , aduerte quod , vt aliquid dicatur vnum per ſe , debet eſſe ſubſtantia vna vnitate compoſitionis vel ſimplicitatis. Secundò debet eſſe ſubſtantia completa vnius naturæ , ratione cuius habeat in ſe principium motus & quietis,ſicque ponatur in vna ſerie prædicamentali. Ens verò per accidens eſt illud , quod non eſt vnum vnitate compoſitionis vel ſimplicitatis , ſed aggregationis , aut ordinis ; vel vnum compoſitione accidentali,hoc-eſt , tali vt non ſit vnius naturæ , ſicque ad plura prædicamenta ſpectet v.g.album,non eſt vnum per ſe , ſed per accidens ; quia conſiderari ſolet natura ſubiecti vt penitus diſtincta à ratione albedinis & vt in ſe completa. Noſtra autem ſententia confirmatur per illud 1. corinth. 12. *omnia autem*

membra

membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt & illud D. Auguſtini 7. de Trin. cap.4. *homo nihil eſt aliud quam anima & corpus*, & illud D. Athanaſij, *anima rationalis & caro vnus eſt homo.* quæ omnia etiam confirmant noſtram ſententiam de vnione.

Obiicies ſecundò, partes ſimul vnitæ componunt totum; ſed totum non componit totum; ergo totum non eſt partes vnitæ.

Reſp. Diſting. maiorem componunt totum vnà cum aliquo extrinſeco, vel componunt totum tanquam aliquid ſibi extrinſecum, Nego maiorem, componunt totum intrinſece per ſe ipſas, Concedo maiorem. Deinde diſtinguo minorem; totum non componit totum per aliquid ſibi extrinſecum, vel cum aliquo ſibi extrinſeco, Concedo minorem; per ea quæ ſibi ſunt intrinſeca, Nego minorem, & vt appareat eſſe ſophiſma, reſoluantur termini hoc modo, partes ſunt componentia totum; ſed totum non eſt componentia totum, & tunc Nego minorem.

Obiicies tertiò, ex Ariſtotele 5. Metaphyſic. cap.14. Text.16. ſex non ſunt bis 3. ſed ſemel 6. item lib.7. cap. 17. ait B A, non eſt B, & A; ergo totum aliquod diſtinguitur à partibus.

Reſpondeo, quidquid ſit de mente Ariſtotelis bis 3. eſſe 6. ſecundum omnes Arithmeticæ peritos; ſed fortè requirit Ariſtoteles ad hoc vt ſex homines, v. g. dicantur eſſe ſenarius numerus, coëxiſtentiam illorum. Vnde 3. homines mortui cum 3. viuentibus non faciunt ſenarium numerum hominum. Sed erit quæſtio de voce: nam 6. defuncti faciunt ſenarium numerum defunctorum; quomodo enim numerarentur defuncti; quoad B A, dico non eſſe ſimpliciter B,

&

& A, vt patet ſi aliter diſponantur ſic AB, ſed eſſe B & A, cum tali ordine, vt priùs ponatur B, & deinde A.

Obiicies quartò, omnis cauſa diſtinguitur ab effectu; ſed partes ſunt cauſa compoſiti.

Reſpondeo: diſtinguo omnis cauſa extrinſeca, Concedo; omnis cauſa intrinſeca, Nego: ideò cauſa materialis debet non diſtingui, vtpote cauſa intrinſeca. Idem dic de cauſa formali, ſi ſumatur pro forma ſpeciali.

Obiicies quintò, inde ſequeretur totum, cuius partes non dicunt vllam vnionem phyſicam inter ſe, nec ordinem, non diſtingui à ſuis partibus ſimpliciter ſumptis, conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. Probatur: per illud axioma, vis vnita fortior eſt ſeipſâ diſpersâ.

Reſpondeo ſextò, gradus caloris, v.g. in ſtatu vniònis nihil habent ſuprà ſeipſos in ſtatu diſperſionis; quare Concedo ſequelam. Ad axioma Reſpondeo falſum eſſe ſimpliciter intellectum, vt verba ſonant: attamen per accidens verum eſt, quia partibus virtutis diſperſis ſigillatim, maior opponitur vincendi contrarij vis, quam iiſdem collectis in vnum. Quare virtus illa non eſt dicenda intrinſecè fortior, ſed tantùm extrinſecè, vt ita dicam, per remotionem maioris contrarij.

QVÆSTIO III.

An vnio ſit eſſentialis compoſito.

Diximus vnionem eſſe modum: modum autem eſſe ſtatum rei non eſſentialem; vnde videtur vnionem non eſſe eſſentialem, & ſic ſentit Dabillon in ſua metaph. diſc. de toto q. 2.

Dico

Dico : vnio eſt eſſentialis compoſito.

Probatur : illud eſt eſſentiale ſine quo res, nec eſſe nec concipi poteſt ; atqui compoſitum non poteſt eſſe,nec concipi ſine vnione partium ; ergo vnio eſt eſſentialis compoſito.

Dices, illud eſſe eſſentiale ſine quo res non poteſt concipi abſolutè ; ſed ſi res poteſt concipi abſolutè ſine aliquo,illud non eſt eſſentiale, licet ſine illo res non poſſit concipi relatiuè, nec exiſtere ſine illo : ſic non poteſt exiſtere homo, quin dependeat à Deo, & tamen poteſt concipi ſecundum attributa eſſentialia ſine Deo. Vnde dependentia non eſt illi eſſentialis; quia eſt attributum relatiuum ; at vnitum eſt relatiuum attributum; ergo non eſt eſſentiale.

Reſpondeo, compoſitum non poſſe concipi etiam abſolutè ſine vnione. Probatur : aliquod non poteſt concipi abſolutè, vt in ſe eſt,niſi concipiatur illud per quod intrinſecè conſtituitur; atqui compoſitum intrinſecè conſtituitur per vnionem ; ergo non poteſt concipi ſine vnione. Deinde partes ſunt eſſentiales compoſito,vel igitur partes ſumuntur ſimpliciter, vt ſunt in ſe, vel vt ſunt vnitæ. Non primum, poſſunt enim eſſe partium entitates, & non eſſe compoſitum ; ergo ſecundum ; ſed partes vt ſunt vnitæ ſunt ipſamet vnio. Demum vnitum non eſt attributum compoſiti, ſed tantùm attributum partium, & fateor vnionem non eſſe eſſentialem partibus ; ſed contendo eſſe eſſentialem compoſito.

Obiicies primò,vnio eſt modus;ſed nullus modus eſt eſſentialis ; ergo non eſt eſsentialis.

Reſpondeo, vnio eſt modus reſpectu partium, Concedo maiorem ; reſpectu compoſiti, Nego. Nam reſpectu illius vnio eſt modus,quod ab vnione

ne modificatur; atqui compoſitum non modificatur per vnionem, ſed tantùm partes: nam compoſitum non vnitur, ſed per vnionem conſtituitur, partes verò ſolæ vniuntur. Deinde modus ſupponit modificatum tanquam ſubiectum; atqui vnio non ſupponit compoſitum, aliàs eſset antequam eſset; ergo vnio non eſt modus reſpectu compoſiti. Probatur maior: Modus eſt ſtatus non eſſentialis; ergo eſt ſtatus accidentalis; ergo ſupponit ſubiectum cui accidit conſtitutum in ſuo eſſe.

Obiicies ſecundò, terminus totum, homo, &c. ſignificat directè partes, vt corpus & animam, & connotant, aut clarè, aut obſcurè partes ſe inuicem retinere; at ſe inuicem retinere non eſt eſſentiale; importatur enim tantùm in obliquo.

Reſpondeo, à parte rei, neque eſſe rectum, neque obliquum, & vtrumque ſi ſit intrinſecum eſſe eſſentiale compoſito, v.g. album dicit in recto ſubiectum, albedinem verò in obliquo; ſed tam bene albedo eſt de eſſentia albi, quam ipſum ſubiectum; impoſſibile enim eſt formare conceptum albi, vt eſt concretum, quin albedo ſit de tali conceptu. Sicut igitur albedo non eſt de eſſentia ſubiecti, quod eſt album; ſed eſt de eſſentia concreti, ſcilicet albi: ita etiam vnio non eſt eſsentialis partibus; ſed eſt eſſentialis compoſito.

Obiicies tertiò, totum eſſet ens per accidens, quia fieret ex duabus ſubſtantiis, & vno accidente, aut modo.

Reſpondeo vnionem, neque eſſe accidens, neque eſſe modum reſpectu compoſiti, vt dixi. Deinde quamvis eſſet modus, eſſet modus ſubſtantialis; atque adeo non officeret vnitati per ſe: nam

ſubſiſtentia eſt modus,& tamen ſubſiſtens eſt vnum per ſe.

Obiicies quartò, ſi vnio eſt aliquid eſſentiale, Chriſtus Dominus, in morte amiſiſſet aliquid eſſentiale,quod non eſt dicendum.

Reſpondèo amiſiſſet realiter,Nego. Formaliter, Concedo. Hoc eſt, non amiſiſſet illud quod vnio eſt realiter,partes, ſcilicet; licet amiſerit actuale exercitium partium adinuicem, in quo nihil eſt repugnans nihilque minus pium.

Obiicies quintò, illud eſt eſſentiale quod eſt totale & perfectum principium operationum; atqui vnio non eſt tale principium; ergo non eſt eſſentialis.

Reſpondeo: diſtinguo minorem; vnio phyſicè ſumpta non eſt tale principium, Nego; vnio metaphyſicè ſumpta,ſubdiſtinguo, non eſt tale principium,vt quod, Concedo; vt quo, Nego. Partes ſunt principium quod operatur, vnio verò eſt principium quo partes operantur, hoc eſt partes, vt vnitæ ſunt principium totale operationum.

Qvæstio IV.

An hæ numero partes ſint de eſſentia huius numero compoſiti.

STatuimus ſuprà art.4.q.7. formam ſpecialem, v.g. animam rationalem, non eſſe totam eſſentiam compoſiti, ſed etiam materiam ſumptam pro parte ignobiliori, verbi gratiâ, pro corpore in homine,pertinere ad eſſentiam compoſiti. Sed dubium eſt, an hæc numero materia ſit de eſſentia, vel ſolùm aliqua indeterminata, vt ſentiunt

tiunt Durand. & Suarez citati à Maillat. diſp. 4. ſect. 1.

Dico: hæ numero partes ſunt de eſſentia compoſiti particularis.

Probatur: ſicut ſe habet materia in communi ad compoſitum ſubſtantiale in communi; ita hæc ſingularis ad tale ſingulare compoſitum; atqui materia in communi eſt de eſſentia compoſiti ſubſtantialis in communi;ergo hæc ſingularis materia eſt de eſſentia huius compoſiti ſingularis. Maior patet, quia ſicut compoſitum in communi dicit ſuas partes componentes; ita hoc numero compoſitum debet habere ſuas partes ex quibus coaleſcat.

Confirmatur: Petrus non eſt hic homo determinatè per aliquid indeterminatum, ſed per naturam ſuam determinatam; ergo per hanc naturam; ſed hæc natura non poteſt eſſe, niſi ex his partibus; ergo per has partes Petrus eſt hic homo.

Obiicies primò, eſſentia non dicit ſingularitatem, ſed hæ partes dicunt ſingularitatem;ergo hæ partes non conſtituunt eſſentiam.

Reſpondeo, eſsentia metaphyſicè conſiderata in communi, non dicit ſingularitatem, Concedo; phyſicè conſiderata in indiuiduo, Nego.

Obiicies ſecundò, in quolibet eſsentia ſemper eſt eadem; atqui in homine ſene non ſunt eædem omnino partes, ac in iuuene propter continuam tranſpirationem inſenſibilem; ergo, &c.

Reſpondeo, Diſtinguo maiorem. Eſsentia metaphyſica ſemper eſt eadem, Concedo; phyſica, ſubdiſt. phyſicè, Nego, moraliter & quoad æſtimationem, Concedo. Deinde diſting. min. non ſunt eædem partes phyſicè, Conc. moraliter, Nego;

Nego; quia iactura materiæ fit paulatim, nec a vllo ſenſu percipitur.

DISPVTATIO II.

De quanto.

DE quantitate, quantum Metaphyſicis conueniens eſt, egimus in Metaphyſica: iam verò quæ in Phyſica de illa diſputari ſolent, diſcutiamus. Tria autem de illa inquiruntur; primum eſt quid ſit quantitas: Secundum quomodo conſtituat continuum: Tertium denique, num extendi poſſit in infinitum. Ideò diſputationem iſtam in tres diuido articulos.

ARTICVLVS I.

De quantitate.

VT, quid ſit quantitas, nobis innoteſcat: duo ſunt diſcutienda, nempe in quo ratio quantitatis conſiſtat & an ſit entitas quædam realiter diſtincta à re quanta.

QVÆSTIO I.

In quo conſiſtat ratio quantitatis.

SVppono primò, duplicem eſſe quantitatem: aliam voco radicalem ſiue potentialem, aliam verò formalem ſiue actualem. Formalis eſt ipſa actualis extenſio partium extra partes: radicalis verò nihil eſt aliud quam ipſa diſtinctio partium ratione cuius res poſtulat & exigit habere illas ita diſpoſitas vt vna ſit extra aliam.

Suppono ſecundò, eſſe aliquos qui quantitatem actualem dicunt eſſe duplicem; alia enim eſt extenſio in ordine ad ſe, ita vt vna pars ſit extra aliam ſeruceturque ordo capitis, colli, brachiorum, &c. licet de facto non reſpondeat ſuus locus ſingulis partibus: alia eſt extenſio in ordine ad locum, quæ eſt cum res ſic replet actu locum vt ſingulis eius partibus ſingulæ etiam atque diſtinctæ partes loci correſpondeant. Hæc autem duplex extenſio inuenta eſt occaſione ſanctiſſimi Sacramenti, in quo, vt docent illi authores, corpus Chriſti Domini conſtituitur penetratiue, retenta nihilominus tota illa extenſione quam ex vi quantitatis partes habent in ordine ad ſe, ita vt, ſicut diximus, ſeruetur ordo capitis, trunci, &c. idque in loco indiuiſibili.

Dico primò, nihil eſt extenſum in ordine ad ſe actualiter quin etiam ſit extenſum in ordine ad locum.

Probatur: duplex illa extenſio continet manifeſtam contradictionem, ſi extenſio in ordine ad ſe ſupponatur eſſe ſine extenſione in ordine ad locum, nam ex ſuppoſitione partes ſunt in eodem loco

loco, deinde cum vna ſit extra aliam non ſunt in eodem loco; poſito enim quod caput ſit extra truncum, poteſt angelus vel ipſe Deus demonſtrare illas partes & dicere hîc eſt caput, iſthic truncus, illic pes; ſed eſſe hic & iſthic eſt non eſſe in eodem loco.

Confirmatur primò: vel partes ſe penetrant, vel non ſe penetrant. Niſi ſe penetrent, ſunt in diuerſis locis, ſi verò ſe penetrent, vna eſt intra aliam, nam penetrare nihil eſt aliud quam penitus intrare in aliud, & duo angeli nunquam dicentur ſeſe penetrare, niſi vnus ſit intra alium. Quare dicendum eſt partes corporis Chriſti D. ſicut ſunt in eodem loco, eſſe etiam intra ſe inuicem.

Confirmatur ſecundò: omnes Doctores aſſerunt corpus Chriſti D. prout eſt in Euchariſtia non habere vllas functiones ſenſuum, quia ſe mutuo partes penetrant & organiſatio non remanet; ſed, ſi partes eſſent extra partes, remaneret organiſatio; ergo partes poſſent operari, oculus videre, auris audire, &c. quid enim impediret? ſicuti igitur pars quæ exiſtit, alicubi exiſtit, ita etiam pars quæ exiſtit extra aliam, alibi exiſtit, attamen prius eſt ſecundum noſtrum modum concipiendi partes eſſe extra partes & extendi in ordine ad ſe quam partes eſſe alibi & extendi in ordine ad locum: ſicut prius eſt rem exiſtere quam alicubi exiſtere, ſed aliud eſt eſſe prius metaphyſicè, hoc eſt, ſecundum noſtrum modum cõcipiẽdi & aliud eſſe prius phyſice & à parte rei.

Dico ſecundò, vera & propria ratio quantitatis formalis eſt extenſio partium extra partes.

Illa definitio eſt adeo clara vt explicatione non indigeat: conuenit omni & ſoli quantitati formali,

[illegible]ſque extenſio eſt radix eorum omnium quæ conuenire dicuntur ſubſtantiæ ratione quantitatis; nam ex eo quod partes ſint extra partes, ſequitur primo eſſe impenetrabiles inter ſe:quia implicat quòd, provt vna eſt extra aliam, inuicem penetrentur, & vna ſit intra aliam. Dico, inter ſe, nam etiam manente impenetrabilitate partium inter ſe,poſſet illud corpus ab alio penetrari, v.g. ſi globus aureus globum argenteum penetraret, vterque retineret ſuam quantitatem, modò partes vtriuſque extra partes perſiſterent, ſicuti globus ille aureus ſuam retineret quantitatem,etiamſi ab angelo penetraretur. Secundo ſequitur ſubſtantiam illam eſſe diuiſibilem; quandiu enim omnes partes ſunt in puncto, cogitari non poteſt quomodo poſſet totum diuidi, eſſet tamen diuiſibile radicaliter quatenus partes ſunt inter ſe diſtinctæ. Tertio ſequitur ſubſtantiam eſse menſurabilem; partes enim quæ in puncto ſunt menſurari non poſsunt.

Obiicies: corpus Chriſti D. habet ſuam quantitatem actualem, atque adeo habet partes extra partes in ordine ad ſe & tamen nō eſt extenſum in ordine ad locum; ergo ratio quantitatis non conſiſtit in hoc quod eſt habere partes extra partes, cum inde ſequatur partes eſse extenſas in ordine ad locum.

Reſpondeo, Nego antecedens; corpus enim Chriſti Domini habet quidem quantitatem ſuam potentialem & radicalem, quatenus vna pars non eſt alia, ſed non habet formalem & actualem quantitatem, ita vt vna pars ſit extra aliam.

QVÆSTIO II.

An quantitas ſit aliquid realiter diſtinctum à rebus quantis.

QVæſtionem hanc eſse Philoſophicam fatetur Lambertus in 3. p. ad q. 77. d.1. a. 2. ad fidem igitur non pertinet. Thomiſtæ quidem omnes, quibus aſsentitur Suarez cum multis aliis, aſserunt quantitatem eſse accidens ab omni prorſus ſubſtantia diſtinctum. Nominales verò Aureolus, Oxam, Gabriel & alij contrarium omnino ſtatuerunt eiſque ſubſcribunt, Maignan, Guarini, Arriaga, &c.

Dico: quantitas non eſt entitas realiter diſtincta à rebus quantis.

Probatur: quantitas eſt ratio per quam corpus habet partes extra partes; atqui talis ratio non eſt entitas realiter diſtincta; ergo neque quantitas. Probatur minor, Corpus habet partes ab inuicem diſtinctas per ſe ipſas; vnum quodlibet enim diſtinguitur ab alio per illud ipſum quod ipſum eſt & non per aliquid diſtinctum; atqui independenter à quantitate quæ ſit entitas diſtincta, vna pars poteſt eſse in vno loco in quo non eſt alia pars, imo illud exigit; ergo materia per ſe eſt extenſa, atque adeo, cum non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate, fruſtra admitteretur alia entitas; cuius ratio in quo conſiſtat nondum clare explicuerunt aduerſarij.

Dices partes omnes coituras in punctum, ſi corpus ſua denudaretur quantitate: vel ſaltem haberent extenſionem indeterminatam eo modo quo angelus.

Contra: neutrum fieri poteſt ſine penetratione; at in illo etiam caſu non poſſet fieri penetratio ſine nouo miraculo; ergo dici non debet ex eo præciſe quod auferretur quantitas ſi eſſet diſtincta, partes coituras in punctum. Probatur minor: illud fieri nequit ſine miraculo quod fieri nequit ſine concurſu Dei extraordinarie operante; atqui tunc talis concurſus eſſet neceſſarius; ergo tunc eſſet miraculum. Probatur: minor tunc concurſus dicitur extraordinarius quando Deus non ſe accommodat exigentiis creaturarum, ſed contra illas operatur; atqui Deus tunc operaretur contra exigentiam materiæ; ergo. Probatur minor: materia ex aduerſariis habet appetitum innatum ad omnes formas & quidem per ſe ipſam nullo alio ſuperaddito, quarum etiam per ſe eſt primum ſubiectum; atqui formæ ſupponunt eam vt habentem partes & diſtinctas & extra ſe inuicem poſitas, imo, vt docent aduerſarij, ipſæmet non alia de cauſa habent in ſe ſimiles partes quibus conſtant entitatiuę, quam quia eductæ ſunt è materia tales habente primitus partes; ergo materia hoc ipſo quod appetit formas, appetit eſſe actu extenſa; ſed per ſe appetit formas; ergo per ſe appetit eſſe actu extenſa: Probatur minor. Materia non poteſt habere appetitum ad formas quin appetat excipere actiones agentium à quibus producuntur formæ; atqui agentia naturalia non poſſunt agere in indiuiſibile & indeterminatum; nam virtus extenſa & determinata non poteſt applicari ſubiecto indiuiſibili & indeterminato; atqui agentium naturalium virtus eſt extenſa & determinata; ergo appetit eſſe actu extenſa: dicendum ergo erit cum ex aduerſariis eſſentia materiæ conſiſtat in eo quod ad formas ordinata ſit,

ſit, illam eſſe ſecundum ſe extenſam & exigere dimenſiones.

Dices ſecundò, talem extenſionem exigere conuenire materiæ ratione quantitatis, quam primo exigit.

Contra: materia poteſt exigere per ſe quantitatem; ergo per ſe formas ſubſtantiales appetit; ergo etiam & extenſionem actualem ſine qua non poteſt appetere formas, cum ſine tali extenſione non ſit capax illarum. Confirmatur ex eo quod independenter à quantitate diſtincta eſt primum ſubiectum illarum; hoc enim habet eſſentialiter, & ex ſua definitione primaria. Deinde vel quantitas diſtincta à materia exigitur immediatè, vel ratione entis ſuperadditi. Si ſecundum, erit proceſſus in infinitum: ſi primum, habeo intentum, quia tam bene poterat exigere impenetrationem, imò citius, cum non exigat quantitatem, niſi propter actualem impenetrationem: exigentia autem finis eſt prior exigentiâ mediorum.

Probatur ſecundò, exigentia impenetrabilitatis prouenit à partibus entitatiuis, quia ex ſeſe ſunt tales vt poſſint, ac debeant pati ab agentibus naturalibus in ordine ad generationes; atqui partes entitatiuæ non diſtinguuntur ab entitate corporis, quæ ſine dubio non diſtinguitur ab ipſo corpore realiter, & inde quantitas dicta eſt quaſi quanta entitas; dicendum eſt ergo quantitatem, non eſſe entitatem ſuperadditam ipſis rebus quantis, ſed eſſe ipſammet materiam, vt partes eius exigunt eſſe non ſimul.

Probatur tertiò, ſi quantitas eſſet accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia, vel in illa extenſa reciperetur, vel inextenſa: Non primum, quia ſic ſubſtantia eſſet extenſa ſine quantitate: Non

ſecundum, quia ſubiectum inextenſum, & indiuiſibile non eſt commenſuratum accidenti extenſo & diuiſibili.

Dices cum Petro à ſancto Ioſeph quantitatem recipi in ſubſtantia extenſa, quoad ſpatium, qua in re nulla eſt repugnantia; illa enim extenſio facit tantùm vt vna pars ſuſtantiæ ſit extra aliam, ſed non vt locum propriè repleat, cum non impediat quin corpus aliud etiam quantum in eodem loco eſſe poſſit.

Reſpondeo: Spatium & locum eſſe vnum, & idem ſentiunt omnes, atque adeo ſi ſubſtantia eſt extenſa in ordine ad ſpatium, erit extenſa in ordine ad locum. Quod ſi aliquod ſit diſcrimen, dico non poſſe ſubſtantiam eſſe extenſam in ordine ad ſpatium, quod iam eſſet idem ac eſſe extenſam in ordine ad ſe, & non eſſe extenſam in ordine ad locum, vt iam probauimus. Impedire autem quin aliud corpus ſit in eodem locò non eſt primum in quantitate, atque adeo poteſt eſſe quantitas ſine filo, ſicut eſſet perfecta quantitas in pariete, etiamſi illum Angelus penetraret. Demum ſi partes ſint extenſæ in ordine ad ſpatium, ex eo præciſè impeditur quin aliud corpus ſit in eodem loco, niſi adſit nouum miraculum, & certè ſi partes ſeſe impediant adinuicem ne penetrentur, impedient etiam & quodlibet aliud corpus.

Probatur quartò, quodlibet corpus habet ex ſe exigentiam habendi partes non ſimul, & non habent hoc ratione alicuius ſuperadditi: nam illud ſuperadditum, vel caret partibus, vel non: Non primum, quia quod eſt ſimplex eſt neceſſario totum ſimul vbicunque eſt, quod autem eſt totum ſimul non poteſt per ſe formaliter tribue-

re aliis eſſe, vel exigere eſſe non ſimul. Si ſecundum, iterum quæram num partes quas habet poſtulent eſſe non ſimul, aut non poſtulent;ſi ſecundum, datur progreſſus in infinitum; ſi primum quare non ſiſtebas in ipſis partibus materiæ? ſubſtantia ergo corporea eſt per ſe ipſam quanta.

Obiicies primò, impenetrabilitas pertinet ad corpus;atqui non poteſt prouenire à materia,aut à forma: nam eſſentia materiæ eſt eſſe ſuſceptiuam formæ, formæ verò eſt actuare materiam, in quibus conceptibus non intelligitur impenetrabilitas; ergo impenetrabilitas non prouenit ab ipſis; ergo ab aliqua forma accidentali; ergo à quantitate.

Reſpondeo, illud argumentum nimis probare, atque adeo nihil probare; probaret enim materiam primam, aut formam non exigere per ſe aliquam vbicationem, cum vbicatio non includatur in illorum eſſentia. Deinde illi conceptus aſſignati non ſunt adæquati, & quamvis eſſent adæquati illi ſunt tantùm eſſentia metaphyſica, non phyſica.

Obiicies ſecundò,cum Suarez metaph.diſp.40. ſect.2.num.8. in myſterio Euchariſtiæ Deus ſeparauit quantitatem à ſubſtantiis panis & vini conſeruans illam, & has conuertens in corpus & ſanguinem ſuum, id autem fieri non potuiſſet, niſi quantitas ex natura rei diſtingueretur à ſubſtantia, neque ſufficere potuiſſet diſtinctio modalis; at quantitas non eſt modus ſubſtantiæ, quia modus non eſt ita ſeparabilis à re cuius eſt modus, vt ſine illa eſſe poſſit.

Reſpondeo,Nego maiorem. Ad minorem,dico ad illam ſeparationem non ſufficere diſtinctionem ex natura rei, aut modalem, ſed ad illam, ſi daretur, requireretur diſtinctio realis maior; ſed

quia talis ſeparatio non datur; ergo nec talis diſtinctio; quantitas enim potentialis & radicalis propriè nihil aliud eſt, quam partes diſtinctæ, & ſic eſt ipſamet materia; at verò quantitas actualis & formalis eſt extenſio partium in ordine ad locum, quæ ſine dubio eſt tantùm modus.

Inſtabis: remanet de facto quantitas actualis & formalis; manet enim eius effectus formalis, hoſtia conſecrata eſt quanta & extenſa in ſuo loco, vt naturaliter non poſſit in eodem ſimul eſſe, aut penetrari cum alia hoſtia conſecrata, aut quovis corpore.

Reſpondeo: illo argumento probarent aduerſarij manere totam ſubſtantiam panis; ſupereſt enim actus nutriendi, tam bene, quam impenetratio, & reuera tantum foret miraculum quantitatem eſſe ſeparatam à ſubiecto, vt mirum omninò eſſet ſanctos Patres, præcipuè eos qui aderant Concilio Trid. de eo ſiluiſſe. Sicut igitur aduerſarij dicunt Chriſtum Dominum ſupplere defectum ſubſtantiæ panis in nutritione, &c. ita etiam ſupplet defectum illius in effectibus quantitatis.

Inſtabis ſecundò: Quid eſt igitur illa extenſio & impenetratio?

Reſpondeo, eſſe actiones Chriſti Domini producentis ſpecies alias in ſpatio quod occuparet ſubſtantia panis, & reſiſtentis tactui ſicuti reſtitiſſet ſubſtantia panis.

Obiicies tertiò, cum Petro à ſancto Ioſeph ablatâ panis ſubſtantiâ in Sacramento altaris omnia accidentia illius æquè manent inter ſe colligata & vnita ac ante conſecrationem; atqui hoc fieri non poteſt ſi nullum habent commune ſubiectum in quo vniantur; ergo remanet quantitas tanquam commune ſubiectum.

Reſpon

Reſpondeo primò, aduerſarij deberent animaduertere Concilium Conſtantienſe damnaſſe hanc propoſitionem Vviclefi; accidentia non manent ſine ſubiecto; atqui in ſententia aduerſariorum accidentia non manent ſine quantitate; ergo non manent ſine ſubiecto, & quidem proprio & proximo. Scio illos reſponſuros accidentia remanere ſine ſubiecto remoto, ſcilicet, ſine ſubſtantia panis, & hoc ſufficere, ſed ſi velint, vt nos excipiamus eorum explicationem, accipiant & illi noſtram quam expoſuimus in metaphyſica, cum de accidente ageremus.

Reſpondeo ſecundò, illa accidentia eſſe ſpecies, quæ ſatis manent colligatæ per omnipotentiam Dei, quæ ſine dubio ſat virium habet vt illas retineat ne diſſipentur: vel clarius, cum illæ ſpecies ſint actiones Chriſti Domini tenentis locum panis, dicendum eſt illas manere ſufficienter colligatas ex eo quod Chriſtus agat tantùm tali modo intra illud ſpatium.

Inſtabis cum eodem: accidentia immutantur poſt conſecrationem eodem modo, at qua ratione fit talis immutatio, ſi nullum eſt ibi eius ſubiectum? quomodo expellitur frigus per calorem aduenientem, niſi detur vtriuſque commune ſubiectum? & quomodo in ſpeciebus producitur calor, ſi nulla adeſt quantitas ſubſtantiæ locum tenens ex qua educatur? cum enim qualitas non educatur ex qualitate, ſequeretur calorem ſpeciebus aduenientem fieri ex nihilo, adeóque ab igne creari, quod ſaltem naturaliter impoſſibile eſt. Fingere autem id fieri per miraculum, perquam abſurdum eſt, cum res aliter commodè intelligi poſſit, admiſsâ nempe quantitate panis, quæ eſt ſubiectum proximum accidentium.

Reſpondeo, nequaquam abſurdum eſſe, dicere id fieri per miraculum. Quaſi verò debeamus eſſe parci & moroſi in admittendis miraculis in myſterio, in quo Deus fecit memoriam mirabilium ſuorum. Non ſunt quidem admittenda miracula ſine cauſa, ſed hic adeſt ratio illa admittendi, ſcilicet abſentia ſubſtantiæ panis. Deinde minus peripatetica eſt tota inſtantia, anne è quantitate educuntur accidentia? Certè in ſcholis peripateticis ſemper auditum fuit accidens non accidere accidenti, vt docet Ariſtoteles, 5. metaphyſic. Text. 14. Deinde, eſto, educantur è quantitate tanquam è ſubiecto proximo, deeſt ſemper ſubiectum remotum, nempe ſubſtantia panis, cuius concurſus, qui principalis eſſet in productione accidentium ſuppleri non poteſt, niſi per miraculum à quocunque ſuppleatur. Quomodo autem hoſtia fiat calida non dicam clarè, donec explicuero quid ſit calor. Interim dico Chriſtum Dominum ſupplere defectum ſubſtantiæ panis, & quandoquidem aduerſarij amant parcimoniam miraculorum, dici poteſt in noſtra ſententia eſſe tantùm vnum miraculum, ſcilicet, quod Chriſtus Dominus ſuppleat defectum ſubſtantiæ panis, ſuppleat, inquam, in genere cauſæ efficientis.

Obiicies quartò, cum Arnu Log. art. 157. authoritatem Ariſtotelis 7. Metaphyſ. Textu 8. vbi ait: *Longitudo, latitudo & profunditas, quantitates quædam, ſed non ſubſtantiæ ſunt; quantitas enim non eſt ſubſtantia, ſed magis cui hæc ipſa primo inſunt illud eſt ſubſtantia.* Vnde ſic argumentatur auctor ille: quando vnum realiter & abſolutè negatur de alio per ſecundam operationem intellectus, realiter ab illo diſtinguitur, ſed ſecundùm Philoſophum per ſecundam operationem intellectus quantitas

quantitas realiter, & abſolutè negatur de ſubſtantia; abſolutè enim profert quod ſubſtantia non eſt quantitas;ergo ſecundùm mentem Philoſophi abſolutè diſtinguuntur. Deinde confirmat ſuam argumentationem ex eodem Ariſtot.1.phyſ. Text.15. *Si ſubſtantia & quantum ſunt, duo ſunt,* & Text.13. *Si ſubſtantia quantum & quale ſunt, non vnum, ſed multa ſunt.* Sed impoſſibile eſt realiter numerum fieri; niſi ſint aliqua realiter diſtincta ſecundùm illam rationem ſecundùm quam eſt numerus, quia numerus eſt multitudo aggregata ex vnitatibus, implicat autem aliquid ex multis aggregari,niſi ab illis realiter diſtinguatur.

Reſpondeo authoritatem Ariſtotelis ab Atomiſtis, non recipi vt dubiorum deciſiuam, honoris tamen cauſa placet illam explicare, iuxta geminum ſenſum. Ariſtoteles igitur vt metaphyſicus loquitur; ſic enim poſt Alexandrum docent Conimbr. explanantes locum è phyſicis allatum, & ideò Ariſtoteles pro ſubſtantia, habet ſemper, vſia,qui terminus Latinè redditur eſſentia; eſſentia autem eſt terminus magis metaphyſicus,quam phyſicus, quantitas igitur non eſt ſubſtantia metaphyſicè, & abſolutè ſumpta, quia proprietas metaphyſicè non eſt eſſentia à qua fluit, licèt realiter ſint vnum & idem. Similiter ſubſtantia,quantum, & quale ſunt multa metaphyſicè, licet phyſicè ſint vnum, quia cum à parte rei identificentur inter ſe, diuerſo tamen modo concipiuntur; ſunt igitur diſtincta ſecundùm illam rationem ſecundùm quam faciunt numerum, quia faciunt numerum ſecundùm rationem metaphyſicam dumtaxat.

Ad illam maiorem, quandò vnum realiter, & abſolutè negatur de alio per ſecundam operationem

tion m intellectus realiter ab illo diſtinguitur, Reſpondeo maiorem illam multa luce, atque limitatione indigere, Primò enim quidquid negatur, realiter negatur; negatio enim realiter eſt in mente, nec negari poteſt, niſi per ſecundam operationem. Deinde quam multa realiter, & abſolutè negantur ita ſe habere realiter à parte rei, quæ tamen reuera ita de facto non ſunt. Diuinitatem Arriani negant realiter, & abſolutè de verbo & Macedoniani de Spiritu Sancto; nunquid ergo diuinitas diſtinguitur realiter à Verbo, & Spiritu Sancto. Deinde quando vnum negatur de alio, diſtinguitur quidem ab illo ſecundùm illam rationem ſecundùm quam negatur, ſed non eſt neceſſe, vt diſtinguatur realiter, neque ſecundùm omnem aliam rationem.

ARTICVLVS II.

De Continuo.

NVlla ſanè eſt in tota Philoſophia quæſtio, quæ maiora hominum ingeniis tormenta pepererit, quam quæ de continui compoſitione proponitur: nullibi acrius Scholaſticè diſceptatur: hæc autem opinionum diuerſitas prouenit ex eo quod mathematica & metaphyſica à phyſicis non ſatis cautè diſcreuerint. Sunt quidem quinque præcipuæ opiniones quas ſequentibus diſcutiemus quæſtionibus, modò quædam præcognoſcenda explicuerimus.

QVÆSTIO I.

Quid ſit continuum, quænam partes illius, quid & quotuplex punctum.

DIco primò, Continua, ex Ariſtotele, ſunt quorum extrema ſunt vnum. Contigua quorum extrema ſunt ſimul, ſeu quæ ſe tangunt; deinceps eſſe dicuntur inter quæ nihil eiuſdem generis mediat. Vnde continuum eſt illud cuius extrema ſunt vnum, hoc eſt cuius extrema vniuntur inter ſe, non autem neceſſe eſt vt vniantur immediatè; ſit enim linea ſeptem punctorum. Primum punctum, & ſeptimum ſunt extrema illius continui, ſed vniuntur tantùm per intermedia puncta, & punctum primum & ſecundum vniuntur immediatè inter ſe.

Quæres, vtrum lignum viride cum ligno ſicco faciant vnum continuum. Reſpondeo affirmatiuè; partes enim vniuntur inter ſe, & quando trahitur vnum, trahitur etiam & aliud, quando autem Ariſtoteles vult, vt duo faciant vnum continuum, faceret etiam vnum numero, vel negandum eſt illud eſſe neceſſarium ſi intelligatur ſic vt omnes partes debeant eſſe ſimiles, vel dicendum voluiſſe Ariſtotelem illa debere facere vnum numero in ratione continui, licet non faciant vnum in ratione corporis naturalis.

Dico ſecundò, partes ſunt ea ex quibus totum componitur. Igitur partes continui ſunt partes materiæ extra ſe inuicem extenſæ; ſi enim eſſent penetratæ non facerent extenſionem, atque adeo nec continuum. Quadruplicis autem generis aſſignantur partes à variis authoribus pro intelligentia

telligentia compoſitionis continui, ſcilicet aliquotæ,aliquantæ,proportionales,communicantes.

Partes aliquotæ ſic dictæ ſunt, quia aliquoties repetitæ exhauriunt præcisè totum v.g. palmus eſt pars aliquota vlnæ, quia octies repetitus exhaurit præcisè vlnam.

Partes aliquantæ ſunt illæ quæ aliquoties repetitæ non exhauriunt præciſe totum,ſed vel excedunt vel exceduntur, v.g. ſi intelligatur aliqua quantitas habere octo palmos, pars conſtans tribus palmis eſt pars aliquanta, quia non exhaurit præcisè totum; nam ſi bis repetatur,faciet ſex,atque adeo minorem quantitatem, ſi verò repetatur ter, faciet maiorem.

Partes proportionales ſic dicuntur quia cum proportione decreſcunt, harum nulla eſt certa magnitudo, ex ſuppoſitione quod continuum in infinitum diuiſibile, quatenus poſſunt eſſe minores & minores in infinitum, v. g. quantitas bipedalis poteſt diuidi in duas medietates & quælibet in alias duas, &c. Dicuntur igitur proportionales quaſi proportionaliter minores; quia ſicut ſe habet totum ad primas medietates, ita quælibet prima medietas ad alias medietates in quas diuidi poteſt.

Partes communicantes ſunt quæ non diſtinguuntur totaliter ab aliis partibus, ſed habent aliquid commune cum illis, v. g. ſi concipiatur menſura diuiſa in quatuor palmos, medietas primi palmi cum medietate ſecundi facit vnam partem communicantem, ſeu vnum palmum communicantem; item tres quartæ primi palmi cum vna quarta ſecundi faciunt alium palmum communicantem.

Dico tertiò, punctum, id cuius pars nulla eſt,

ab

ab Euclide definitur, quam definitionem iam non examinabo: eſt autem aliud mathematicum, aliud phyſicum, aliud morale: rurſus aliud eſt terminans, aliud copulans.

Punctum morale dicitur quodlibet ſignum quo non datur communiter minus, ſic iſtud ſignum, ,.., dicitur punctum.

Punctum mathematicum eſt minimum quod excogitari poteſt, ita vt in illo nulla concipiatur extenſio.

Punctum phyſicum eſt illud quod nullas quidem habet partes, habet tamen quamdam extenſionem, & iſtud adhuc duplex ponitur ab authoribus; aliud quidem dicitur eſſe determinatæ extenſionis, aliud verò indeterminatæ, quia dicitur poſſe occupare ſpatium minus & minus in infinitum eo modò quo angeli habent modò maiorem modò minorem ſphæram præſentiæ: vnde dicitur eſſe realiter indiuiſibile, virtualiter tamen diuiſibile in infinitum: imò à quibuſdam dicitur punctum inflatum.

Punctum terminans eſt extremum lineæ, & ſic dicitur quia eam terminat.

Punctum copulans dicitur eſſe quod duas partes continui copulet inter ſe.

QVÆSTIO II.

Quid ſentiendum de opinione Zenonis.

ZEno docuit quodlibet continuum conſtare è punctis, ita vt iuxta illorum multitudinem continuum ſit magnum vel paruum; licet autem, propter doctrinæ vetuſtatem, non liquidò conſtet de illius doctrina, creditur tamen eum cenſuiſſe

puncta

puncta illa eſse mathematica & ſine vlla extenſione, finita, vt referunt aliqui, infinita verò, vt referunt alij. Vt hæc ſententia ſic expoſita reiiciatur.

Dico primò, continuum non poteſt conſtare ex punctis mathematicis finitis.

Probatur: nullum datur punctum mathematicum, ergo Continuum non poteſt conſtare ex punctis mathematicis. Probatur antecedens: punctum mathematicum eſt minimum quod excogitari poteſt; atqui punctum non poteſt excogitari tam paruum quin adhuc minus excogitari poſſit; ergo non datur punctum mathematicum. Confirmatur ex eo quod mathematici ſic faciant ſuas ſuppoſitione vt ſemper veræ ſint demonſtrationes eorum ſiue in ſubiecto ſint puncta, ſiue non, modò excogitari poſſint.

Probatur ſecundò, punctum mathematicum additum puncto mathematico non poteſt facere extenſionem; ergo continuum non conſtat ex punctis mathematicis. Probatur antecedens: quæ ſunt penetratiue nullam poſſunt facere extenſionem per ſui vnionem; ſed illa puncta ſe penetrarent; ergo non poſſent facere extenſionem. Probatur minor: quæ ſe adæquate tangunt ſe inuicem penetrant; ſed puncta illa ſe adæquate tangerent; ergo ſeſe penetrarent.

Dices punctum etſi indiuiſibile habere tamen varia latera versùs orientem & occidentem, &c. & ideo poſſunt illa puncta eſſe immediate contigua etſi non ſe penetrent.

Reſpondeo, illam rationem eſſe legitimam pro punctis phyſicis eamque nos infra afferemus, ſed non valet pro tuendis punctis mathematicis; nam ſi illa puncta habent varia latera; ergo non ſunt minima

minima quæ excogitari poſſunt, atque adeo non ſunt mathematica.

Dices iterum ex D. Aug. lib. 2. de libero arb. cap.8. quantulumcumque illud corpuſculum ſit habet ſiniſtram, dexteram, interiorem, ſuperiorem, &c.

Reſpondeo: punctum mathematicum ex ſua definitione eſt quo non poteſt excogitari minus; ergo non poteſt habere dexteram, & ſiniſtram, atque adeo dari non poteſt, cum ſi daretur, dexteram & ſiniſtram habere neceſſe eſſet; D. igitur Auguſtinus loquitur de atomo phyſica.

Probatur tertiò, ſi dentur ſolùm puncta in continuo, ſequitur mobile velox nunquam poſſe aſſequi mobile tardum in eadem linea; ſit enim Achilles in puncto A, & teſtudo in puncto B, tum ſic aio, Achilles non poteſt vnico inſtanti percurrere duo puncta; debet enim tranſire per medium; ergo percurrit tantum vnum punctum, ſed teſtudo ſimiliter in eodem inſtanti non poteſt percurrere minus quam vnum punctum, cum punctum ſit indiuiſibile. Deinde in ſecundo inſtanti quando Achilles percurret aliud punctum, teſtudo ſimiliter aliud & ſic Achilles numquam aſſequetur teſtudinem, quod eſt abſurdum.

Dices tarditatem motus conſiſtere in morulis & quò morulæ illæ ſunt maiores, eò motus eſt tardior & quò minores, eò motus eſt velocior; vnde in allato exemplo Achilles tandem aſſequetur teſtudinem.

Reſpondeo exinde ſequi motum teſtudinis non eſſe continuum quandoquidem morulis interrumperetur: imò ſequeretur nullum eſſe motum continuum; nam velox & tardum ſunt termini relatiui, ſicut magnum & paruum: ſaltem nullus datur

motus

motus adeo velox, quin poſſit dari alius longè velocior reſpectu cuius ille poterit dici tardus; ergo conſtabit ex morulis quibus interrumpetur, atque adeo non erit continuus.

Confirmatur alio exemplo: quando rota mouetur,aut ſphæra, maximus circulus,& minor circulus ſimul & ſemel mouentur, & amborum reuolutio eodem inſtanti perficitur; ſi igitur ſumatur aliquod punctum in maiori circulo, v. g. A terminans radium aliquem, illud punctum velocius mouebitur, quam punctum illi reſpondens B in circulo minori, tunc tamen explicari non poteſt velocitas motus, aut tarditas per morulas; nam quando mouetur maior circulus, mouetur & minor;& quando quieſcit,minor etiam quieſcit, aliàs radij diuaricarentur. Non eſt autem vllatenus probabile id quod ad hanc difficultatem ſoluendam reſpondet Ouiedo radios quidem rotæ vel ſphæræ non diuaricari, ſed inflecti eo modo quo virga viridis inflectitur, aut etiam enſis abſque vlla fractione. Illud inquam non eſt probabile; nam quando rota eſt ænea aut mormorea, radij non poſſunt ita inflecti, præſertim quando vnus circulus eſt alio maior centuplum aut millies: certe inflexio illa gratis eſt excogitata.

Probatur quartò, demonſtrauit Euclides l. 1. p. 10. datam quamlibet lineam terminatam æqualiter diuidi poſſe, ſed ſi detur linea conſtans ex quinque punctis,hæc diuiſio fieri non poteſt;ergo linea non conſtat ex punctis.

Reſpondet Arriaga, facile negabitur id ab Euclide fuiſſe demonſtratum aut poſſe demonſtrari; neque enim videtur linea poſſe exigere ex ſuo conceptu eſſe diuiſibilem in partes æquales omnino, ſed *nemo ageometra huc ingrediatur*: nec patrono

patrono indiget Euclides. Paulo cautius reſpondebimus infra & quidem feliciori ſucceſſu.

Probatur quintò, ex illa opinione ſequeretur non poſſe dari triangulum cuius latera eſſent maiora baſi; in quolibet enim latere non ſunt plura puncta quam in baſi: Probatur. Linea ſuccedens baſi eſt minor ipſa baſi, vt facile demonſtrari poteſt per elementa Euclidis, & patet ad oculum; igitur ſi baſis ſupponatur habere decem puncta, linea ſuccedens, vtpote minor, haberet nouem, & altera ſuccedens octo &c. vſque ad vnum punctum; ergo latus non poſſet habere pluſquam decem puncta & conſequenter non poſſet eſſe maius baſi; quod eſt abſurdum. Quam plurimæ aliæ ex mathematicis afferuntur probationes vt quod diagonalis eſſet æqualis coſtæ, & diameter ſemicirculo quas libens omitto.

Dico ſecundò, continuum non poteſt conſtare ex punctis mathematicis infinitis. Hæc concluſio probari poteſt omnibus fere argumentis quibus Probatur prima concluſio, attamen ſpecialiter

Probatur. Vel punctum additum puncto facit maius vel non. Si ſecundum, ergo neque infinita puncta. Si primum, ſic argumentor: punctum additum puncto facit duplo maius ſub determinata mole, vel quantitate; igitur duo addita triplo maius; tria quadruplo, &c. Igitur infinita facerent infinitè maius, & ſic corpora quælibet haberent infinitam magnitudinem.

Objicies primò, corpus perfectè ſphæricum tangit planum in puncto; ergo datur punctum ſeu indiuiſibile. Deinde cylinder tangit planum in lineam; ergo datur linea; tandem planum tangit aliud planum in ſuperficie, ergo dantur veræ ſuperficies

ficies & conſequenter continuum conſtat ex indiuiſibilibus.

Reſpondeo hæc omnia verificari & probari demonſtratiue in mathematicis ; non eſt autem neceſſe vt ſimiliter ad rigorem verificentur in phyſicis, vt quæſtione quinta explicabimus. Igitur mathematici argumentantur tantùm ex ſuppoſitione ; illi enim ſic argumentantur vt ſi darentur puncta illa & lineæ & ſuperficies omnino indiuiſibiles & ſine vlla extenſione, imo hoc eſſe neceſſe patet ; quomodo enim è quolibet puncto circuli poſſet excitari diameter ? nonne coirent lineæ in circulo proximiori centro , imo nec poteſt cogitari circulus circa centrum, niſi centrum habeat aliquam extenſionem ; at ſi habeat extenſionem, iam non eſt punctum mathematicum.

Objicies ſecundò , ita ſe habet punctum in linea ſicut vnitas in numero ; at numerus conſtat tantum ex vnitatibus quæ ſunt indiuiſibiles ; ergo & linea conſtat ex punctis indiuiſibilibus.

Reſpondeo primò , mathematicè quamlibet vnitatem eſſe diuiſibilem in ſuas minutias ; ergo & quodlibet punctum ; ſecundò ad hoc vt vnitas cum alia vnitate faciat numerum , non eſt neceſſe vt vnitas phyſice vniatur cum alia vnitate ; ſufficit enim ſi vniatur tantum per mentem ; at vt punctum cum puncto faciat continuum, neceſſe eſt vt vniantur phyſice, quod fieri non poteſt niſi penetrentur , ſi puncta ſint mathematica , vt ſupra probatum eſt ; Igitur, vt mox dixi, mathematici ſumunt quantitatem pure provt præcisè dicit longum , latum , & profundum , longitudinem ſumunt etiam puram quaſi carentem latitudine ; quia ſic faciunt ſuam hypotheſim , vt ad eam nulla egeant latitudine pro lineis nec profunditate

funditate pro ſuperficiebus, quia theoremata eorum etiam abſtracta ſunt, & hinc nata eſt occaſio errandi in phyſicis.

Dices: duorum planorum contactus eſt verus & non ſolum imaginarius; at fit in ſuperficie ſola; ergo datur ſuperficies.

Contra: talis contactus eſt verus & realis & fit in aliquo vere exiſtente in corpore plano & fit ſecundùm longum & latum, non autem ſecundùm profunditatem; ſicut illa ſuperficies, ſi daretur tangeret eodem modo corpus, geometræ verò non attendunt puncta & lineas vt ſunt in re, ſed ſolùm in abſtracto.

QVÆSTIO II.

Quid ſentiendum de opinione Ariſtotelis.

ARiſtoteles contendit quodlibet continuum conſtare ex partibus proportionaliter diuiſibilibus in infinitum; ita vt corpus magnitudine tantùm æquans arenæ granum poſſit toties ſubdiuidi proportionaliter vt numquam ad vltimam diuiſionem peruenìri poſſit.

Dico: continuum conſtare non poteſt ex partibus proportionaliter diuiſibilibus in infinitum.

Probatur primo: tota res continui explicari poteſt per finita actu; ergo non debent poni infinita actu; ergo in continuo non ſunt infinitæ partes proportionales aut communicantes; ſequeretur enim eſſe infinitas partes communicantes diuerſæ.

Probatur ſecundò, quælibet pars eſt extra aliam; nulla enim penetratur cum alia; ſi enim vna penetraretur cum alia, cur non aliæ omnes cum ſint

omnes

omnes eiuſdem rationis? igitur quælibet pars continui eſt in ſingulari loco,&, quia ſunt infinitæ partes, erunt infinita loca; & ſic dabitur infinitum clauſum terminis & actu infinitum, quandoquidem cuilibet parti actu exiſtenti aſſignari poteſt Angelus,& ſic erunt infiniti Angeli.

Probatur tertiò,continuum eſt diuiſibile; ergo ſi conſtet ex duobus palmis eſt diuiſibile in duos palmos, ſi ex quatuor ſemipalmis, eſt diuiſibile in quatuor ſemipalmos, atque ita in infinitum; poteſt igitur diuidi quantum eſt diuiſibile in ſingula illa ex quibus conſtat; igitur diuidatur à Deo ſimul quantum diuidi poteſt;certè nihil manet in eo diuiſibile amplius; igitur conſtat ex indiuiſibilibus.

Dices non poſſe diuidi collectiuè, quantùm diuidi poteſt,ſed tantùm diſtributiuè.

Reſpondeo diuidi collectiuè idem eſt ac diuidi ſimul; atqui, ſi conſtat ſimul ex duobus palmis,ſimul poteſt diuidi in duos palmos, ſi ex quatuor ſemipalmis in quatuor ſemipalmos, & ſic in infinitum. Igitur ſi conſtat actu ex omnibus partibus ſuis ſimul poteſt diuidi in omnes partes ſuas, quia in ea poteſt diuidi ex quibus actu conſtat.

Dices ſecundò, eſto, ſint infinitæ partes actu; vna tamen pars non poteſt ab omni alia ſeparata exiſtere.

Reſpondeo, vnam non dependere ab alia, vt à cauſa, nec vt à conditione, nec vt à ſubiecto, nec vt à diſpoſitione; ergo nulla ratio dependentiæ excogitari poteſt, atque adeo quælibet ab alia ſeparari poterit, & cum nulla ſit pars diſtincta ſine qua non poſſit eſſe, poterit ab omnibus aliis eſſe ſeorſum non ſolùm diſtributiuè, ſed etiam col-

lectiuè,

lectiuè. Probatur: ſicut valet conſequentia, poſſum eſſe ſine omni ſocio diſtributiuè; ergo & collectiuè. Ita etiam hæc valet vna pars poteſt eſſe ſine alia diſtributiuè; ergo & collectiuè, nec vlla diſparitas afferri poteſt, niſi petatur principium.

Dices tertiò, poſſe retorqueri argumentum in actione, poſſum eſſe ſine omni actione conſeruatiua diſtributiuè; ergo & collectiuè, ſed conſequentia non valet.

Reſpondeo, in noſtra ſententia negari, quia non admittimus, quod actio ſit entitas totaliter ab omni ſubſtantia diſtincta & ſuperaddita; atque adeo actio conſeruatiua non eſt aliud, quam Deus & ego, Deus vt me conſeruat, & ego vt à Deo conſeruor; cum ergo non poſſim exiſtere ſine Deo & me, non poſſum etiam eſſe ſine illa actione. Deinde quamvis actio eſſet quid diſtinctum, reſponderi poſſet rem dependentem non poſſe eſſe ſine aliqua dependentia, quia hæc eſt de conceptu rei dependentis, & de eſſentia illius ſaltem phyſicè; at vna pars non eſt de eſſentia alterius.

Dices quartò, non poſſe partem eſſe ſine omni alia, quia de ſuo conceptu eſt eſſe diuiſibilem. Reſpondeo, iam te petere principium; hoc enim eſt in quæſtione & cum negauero, demonſtrari non poſſe contendo.

Probatur quartò, circulus tangit planum in puncto, non verò in parte diuiſibili, vt demonſtrauit Euclides; ergo dantur puncta indiuiſibilia in continuo. Hoc argumentum commune eſt, eſt tamen indiſſolubile poſita hypotheſi in concluſione expoſita.

Dico primò, repugnare circulum perfectum.

Reſpon

Reſpondeo nunquid repugnant omnes figuræ, & rectilineæ, & curuilineæ? Si rectilinea eſt, habet angulum, ſed angulus tangit planum tantùm in puncto: ſi verò eſt curuilinea, nulla eſt Reſponſio, eadem enim erit eius conditio ac ſphæræ.

Dices ſecundò, non eſſe verum contactum. Sed apage iſtas nugas, quaſi verò globus menſæ incubans ab eadem non ſuſtineatur? ſi igitur non tangit, aliquid aëris intercipitur, atque adeo globus grauiſſimus libratus in aëre non cadit.

Dices tertiò, fieri contactum in parte diuiſibili, ſed indiuiſibiliter. Sed quis hoc intelligat? nam fieri contactum indiuiſibiliter ſonat contactum eſſe indiuiſibilem, ſed indiuiſibilis eſſe non poteſt, niſi fiat in indiuiſibili. Quare hæc ratio valere tantùm poteſt, cum partes omnes ſe penetrant, & ad punctum rediguntur; tunc enim tangitur res diuiſibilis modo indiuiſibili.

Dices quartò, partem tangi quidem, ſed non totam, ſiue, vt alij loquuntur, tangitur inadæquatè. Contra: vel plura tanguntur, vel non plura, ſiue in plano, ſiue in globo; ſi plura tangit, eſt contra illud quod demonſtratum eſt ab Euclide; igitur non plura, igitur vel nihil tangitur, vel vnum quid tantum tangitur; ergo punctum.

Dices quintò, contactum fieri in parte minori, & minori in infinitum; ita vt nulla poſſit aſſignari qua non ſit minor. Contra: fit in aliqua, aliàs fieret in nulla. De illa quæro, eſtne diuiſibilis an indiuiſibilis? primum eſt contra demonſtrationem Euclidis, ergo ſecundum: dicere autem illud non fuiſſe demonſtratum ab Euclide, non decet geometram.

Dices ſextò, contactum fieri in parte indeterminata. Contra: an fortè Deus illam partem

videat

videat inquiro: ſi videt, ergo eſt determinata; ab ipſo enim demonſtrari poterit; ſi verò non videat, mirum eſt Deum, qui cuncta nouit diſtinctè, ens poſitiuum non videre. Certè illud Deum neſcire neſciebam. Igitur à parte rei nihil eſt indeterminatum, ſed tota indeterminatio ſe tenet ex parte intellectus: nam quod tangit, exiſtit & diſtinguitur ab omni alio, atque adeo eſt hoc & determinatum eſt. Demum ſecundùm Euclidem tangit tantùm in vno; ſed quod vnum eſt, determinatum eſt. Simile argumentum duci poteſt ex cylindro incubante plano, vel ex plano alteri impoſito.

Probatur quintò, ſi continuum conſtat ex infinitis quantis, faciunt infinitè quantum; ſi enim vnum quantum additum alteri quanto facit maius, infinita addita facient infinitè maius.

Dices non eſſe infinita quanta vni certo æqualia. Contra: vel illa quanta vni certo æqualia ſunt finita, vel infinita: non finita, alioquin daretur vltimum; igitur infinita. Dices eſſe infinita potentia. Contra: quantum quod actu eſt conſtat ex quantis actu. Dices eſſe indeterminata. Contra: quidquid exiſtit determinatum eſt.

Probatur ſextò, ſi continuum conſtat ex diuiſibilibus in infinitum, multa ſunt in Philoſophia & Theologia, quæ continebunt difficultates inſuperabiles, verbi gratiâ, quod ſpectat ad terminationem ſphæræ actiuitatis luminis, & aliarum qualitatum; cum enim tantùm diffundantur vniformiter, quantùm poteſt diffundi, & tantùm poteſt diffundi, quantùm poteſt diſtrahi, diuidi, diſtribui, nunquam terminabitur ſphæra actiuitatis, ſi ſint diuiſibiles in infinitum. In Theologia

quomodo explicabitur duratio actus, quæ nouam meriti facit acceſſionem. Similiter quomodo explicabitur deſitio & inceptio verborum, ſeu formarum ſacramentalium. Denique argumentum tertium factum contra zenonem poteſt etiam fieri contra opinionem Ariſtotelis.

QVÆSTIO IV.

Quid ſentiendum de opinione mixta ex præcedentibus.

ALiqui mediam inter præcedentes opinionem conſtituerunt, dicentes continuum, nec conſtare ex meris punctis, nec etiam ex ſolis partibus in infinitum diuiſibilibus, ſed conſtare ſimul ex partibus & ex punctis: vnde dicunt dari puncta copulantia partes cum partibus & puncta terminantia lineas.

Dico: continuum non conſtat ex punctis, & partibus in infinitum diuiſibilibus; ſiue non dantur puncta terminantia & copulantia modo expoſito.

Probatur primò, hæc opinio non differt ab illa quam reieci in ſuperiori quæſtione: nam vel inter quodlibet punctum putà inter extremum lineæ, & aliud vicinius eſt aliquid vel nihil; ſi nihil, ergo illa duo puncta ſunt immediata; igitur & alia quæ ſequuntur: nam eſt eadem ratio pro illis: ſi verò aliquid, vel eſt diuiſibile, vel indiuiſibile: ſi diuiſibile, igitur datur punctum aliud vicinius contra ſuppoſitionem: nam inter duas quaſlibet partes intercedit punctum; igitur indiuiſibile, igitur punctum ſequitur immediatè punctum, igitur cōtinuum ex ſolis punctis conſtat.

Dices

Dices primò, non dari punctum vicinius. Contra: ſi punctum non ſequitur immediatè punctum, ſequitur mediatè; igitur vel omnia æquè mediatè ſequuntur, & hoc non, alioquin omnino eſſent in eodem puncto, vel aliqua, & hoc non, propter eandem rationem; igitur eſt aliquid quod minus mediatè ſequitur; igitur illud eſt vicinius.

Dices ſecundò, illud quod intercedit inter illa duo puncta, eſſe partem indeterminatam. Contra: quidquid eſt, determinatum eſt. Deinde, eſto, ſit indeterminata; hoc tamen non facit quod non ſit diuiſibilis, vel indiuiſibilis.

Probatur ſecundò, circulus tangit planum in puncto, vt etiam aduerſarij fatentur; rotetur igitur circulus in prædicto plano. In toto illo motu totus circulus ſucceſſiuè tangit planum, & ſemper in puncto tangit; igitur conſtat tantùm ex punctis.

Dices fieri ſaltus partium. Contra: gratis illi ſaltus excogitantur: nam totus circulus reuera tangit; ergo nullus eſt ſaltus.

Probatur tertiò, cum puncta à partibus in illa hypotheſi ſint realiter diſtincta, deſtruat Deus omnia puncta intactis & conſeruatis partibus. Iam quæro, vel illæ partes ſunt diuiſæ, vel vnitæ: non vnitæ, alioquin non eſſent deſtructa omnia puncta, quæ partes diuiſibiles copulabant, niſi dixeris illas partes per ſeipſas immediatè copulari & terminari; ſed iam concluderem illa puncta gratis admitti, quandoquidem ſine illis partes poſſunt eſſe vnitæ & terminatæ; igitur partes illæ ſunt indiuiſibiles; atque adeo puncta; ergo in continuo ſunt ſolùm puncta.

Probatur quartò, punctum, quod inter duas

partes interiacet, vel facit maius, vel cum ipſa parte penetratur. Si primum; ergo punctum additum puncto facit maius, quod non concedent huius ſententiæ propugnatores, ſi punctum penetretur cum parte, igitur cum vtraque; cur enim potius cum vna quam cum alia? igitur eſt in duobus locis. Prætereà penetratur etiam cum aliis punctis, cum nulla pars ſine punctis accipi poſſit. Demum illæ duæ partes ſunt immediatæ; ergo non ſunt puncta intermedia.

Probatur quintò, inter duas partes continuas eſt tantùm vnicum punctum, iam verò, ſi diuidatur, ſunt duo puncta terminantia; ergo ſaltem vnum punctum de nouo producitur & creatur, quod eſt abſurdum: vel ſi nullum fiat punctum de nouo, vna pars terminabitur abſque puncto; atqui tangi poterit; ergo ſuperflua ſunt puncta; eſſet autem abſurdum dicere pilam ferream tormento exploſam non poſſe confringere ſpeculum ſua ſuperficie terminante ſpoliatum, quia ſcilicet non fieret contactus.

Dices illud punctum reſultare.

Reſpondeo, quid eſt reſultare? antea non erat, iam eſt; ergo productum eſt, ſed produci non poteſt, niſi per creationem; ergo creatum eſt; ergo tot erunt creationes quot ſectiones & diuiſiones; imò etiam eſſent tot annihilationes, cum punctum continuans pereat, vt illi terminans ſubſtituatur, ſaltem in ſententia quorundam ex aduerſariis.

Aliqui authores nolentes admittere puncta vnientia ſimul cum partibus admittunt ſuperficies indiuiſibiles cum partibus; ſed iiſdem rationibus impugnantur: quid enim eſt inter duas ſuperficies: deſtruantur omnes ſuperficies, remanentibus

nentibus partibus, vel partes, remanentibus ſuperficiebus: nonne ſuperficies, vel partes conſtituent continuum? Demum erigatur corpus, & ſuper illud erectum voluatur circulus; nonne ſemper tangit in indiuiſibili. Redeunt itaque omnia argumenta ſuperius facta.

QVÆSTIO V.

Quid ſentiendum ſit de opinione Digbæi & Thomæ Angli.

ARgumentis contra ſupradictas opiniones propoſitis quidam perterriti aliam viam ingreſſi ſunt ad diſquiſitionem compoſitionis compoſiti, &, vt antiquam, vt dicunt peripateticam doctrinam reſtaurarent, in continuo nullas eſſe actu partes aſſeruerunt, & hanc eſſe Ariſtotelis ſententiam contendunt. Inter hos ſpectabiles mihi videntur Kenelmus eques, Digbæus tractatu de natura corporum, cap.2. & Thomas Anglus ex Albiis in tractatu quem operi Digbæano anteponit, & ad illud eſt præfatio art.1. & ſeqq. Sic igitur iſte ſuam ſententiam proponit. Continuum, ſeu magnitudo vnica eſt entitas, quæ eſt diuiſibilis, non eo quod plures entitates actu claudat, ſed quia plures ex ea per motum quendam, quem diuiſionem appellamus, vi cauſarum naturalium cauſari & produci poſſint. Rationes, quas affert, eruditione plenas eſſe diffiteri non poſſum; verum, quia omnes nituntur illo principio Ariſtotelico, quodlibet continuum diuidi poteſt in infinitum, ideò facilè ſoluentur: nolim autem Hurtadum imitari qui illius opinionis refutationem orditur his verbis: *Nulla fœditas ſine amore,*

nec facultas ſine Patrono; Si enim Hurtadus legiſſet vel intellexiſſet rationes Digbei & Thomæ, ſine dubio dixiſſet, poſito quod continuum ſit diuiſibile in infinitum, ſicut ipſe etiam exiſtimat, cum illis ſentire neceſſe eſſe, vt à ſexcentis difficultatibus facilius expediatur quæſtio.

Dico: in continuo ſunt actu partes, non quidem ſeparatæ ab inuicem, ſed diſtinctæ actu, ita vt vna non ſit alia.

Probatur primò, in compoſito quolibet dantur actu partes; atqui continuum eſt aliquod compoſitum; ergo in continuo dantur actu partes. Probatur maior. Compoſitum, ex vi ipſius nominis, eſt quod componitur ex partibus, & partes ſunt ex quibus totum componitur & in quas totum reſoluitur.

Reſpondet Thomas Anglus, his verbis, illud in quod aliquid reſoluitur, nonne terminus eſt reſolutionis manens poſt diſſolutionem aut reſolutionem compoſiti? vide itaque quando partes ſecundùm hanc notionem debeant exiſtere. Similiter compoſitio nonne motus eſt ab iis quæ plura ſunt ad illud quod vnum eſt? terminus à quo itaque compoſitionis ſunt plura ſeu partes ante compoſitionem, id eſt illa tota in ſe & partes reſpectu faciendi: quis neget elementa eſſe partes mixti? ſed eſſe actu in mixto negant plures.

Contra: fateor partes eſſe terminum reſolutionis, poſt reſolutionem manentem: ſimiliter eſſe terminum à quo compoſitionis; ſed dico, τὸ componitur, non ſolùm importare compoſitum in fieri, ſed prætèrea in facto eſſe, & idem ſignificat ac conſtat, adeoque partes non ſolùm ſunt terminus à quo, ſed prætèrea ſubiectum

ex

ex quo tanquam inexiſtente fiunt, nam ex anima rationali & corpore fit homo tanquam ex partibus inexiſtentibus. Vnde ſic arguo: vel corpus & anima rationalis diſtinguuntur ab inuicē in toto, hoc eſt in homine, vel non diſtinguuntur: ſi primum, habeo quod intendo; ſi ſecundùm, ergo identificantur, quod eſt impoſſibile; quæ enim ſemel diſtinguuntur realiter, ſemper & in æternum diſtinguuntur; cum enim vnum diſtinguatur ab alio per ſuammet entitatem & eſſentiam phyſicam, non poteſt illam diſtinctionem amittere, niſi amittat entitatem.

Confirmatur: pono hìc duas aquas ſeparatas. Illæ ſine dubio ſunt tunc realiter diſtinctæ.

Infundatur vtraque in idem vas & vniantur inuicem, quæro an vna maneat diſtincta ab alia vel non: ſi primum, habeo quod intendo, ſcilicet dari actu partes diſtinctas in compoſito; ſi ſecundum, ergo identificantur; ergo mutauerunt eſſentiam: ſeparentur iterum illæ duæ aquæ & ponantur in duobus vaſculis, nonne in duobus vaſculis eſt idem ac antea erat in toto?

Reſpondere mihi videtur Thomas Anglus, art. 9. in quolibet compoſito eſſe quidem pluralitatem ſubſtantiarum, ſed non pluralitatem partium, aliàs eſſet ibi pluralitas quantitatum, quod repugnat rationi continui; ipſe enim ibi ait, quod quantitas poteſt eſſe vna plurium ſubſtantiarum, & quod plures ſubſtantiæ poſſint eſſe continuatæ.

Contrariam nobis erit tantùm quæſtio de voce; & hæc opinio coincidet cum opinione Ariſtotelis quam q. 2. refutaui; nam voca ea quæ inſunt continuo, voca, inquam, nomine partium, vel non, quid ad me? modò concedatur ibi eſſe pluralitatem ſubſtantiarum: nam vel illæ ſubſtan-

tia ſunt diuiſibiles in infinitum vel ſunt indiuiſibiles. Secundum non concedet aduerſarius, concedat ergo neceſſe eſt primum, atque adeo continuum poterit diuidi in minores & minores partes in infinitum; ſed in illas non poteſt diuidi niſi in ipſo fuerint actu diſtinctæ; neque enim per meram diuiſionem tollitur identitas & ponitur diſtinctio; vnde non ſoluitur quæſtio, vt patet, imò magis intricatur, fateor autem in continuis eſſe vnam quantitatem, alioquin non eſſent continua, ſed eſſe vnam vnitate quæ non tollit pluralitatem ſubſtantiarum, quas ego voco partes, quia ex illis conſtat totum.

Confirmatur: quia idem author probat vnitatem mundi a. 9. vbi reſpondens ad quandam obiectionem, ait, non inde ſequi mundum eſſe entitatiuè, hoc eſt ſubſtantialiter vnum, ſed tantùm quantitatiuè, & malè argui ab vnitate quantitatiua ad entitatiuam ſiue ſubſtantialem in quanto ſic præciſe ſumpto; & quia accidentia indiuiduantur à ſuis ſubiectis, fateor euidens eſſe ſingulas ſubſtantias determinare ſibi partem quantitatis integræ, & per conſequens non mirum eſſe, ſi dicamus non ſolùm eſſe tot entia, ſed etiam tot eſſe quanta quot ſubſtantias eſſe percipimus. Sed, inquit, dicere plures eſſe quantitates non eſt pure naturalis locutio; ſicut enim in rigore nulla quantitas eſt, ſic neque in rigore plures eſſe poſſunt: ſic nos cum illo manus iungimus; cum verum ſtatuerimus nullam dari quantitatem in abſtracto. Deinde, perſequitur idem, quando dicitur plures eſſe quantitates in mundo, ſenſus verus non poteſt eſſe alius quam ſingulas ſubſtantias eſſe determinatas partes totius vniuerſi perpetuo quodam diuiſibilitatis fluore ſic ſibi cohærentes,

hærentes, vt ſingularium in illa communitate determinatæ ſint ſedes & ordo & extenſio. Vnde patet illum authorem iam à ſua opinione diſcedere, ſecundùm quam aiebat non eſſe actu partes, cum fateatur in mundo, quem dicit eſſe vnum totum; ſingulas ſubſtantias eſſe determinatas partes totius: vel eſſe tantùm quæſtionem de nomine, vtrum ſcilicet debeant dici actu partes, quod non ſoluit quæſtionem de continuo.

Probatur ſecundò oculorum teſtimonio: conſtat eſſe in humano corpore digitum, manum, brachia, crura, &c. Cuiuſlibet autem eſt peculiaris functio; manus à pede ſecernitur, &c. Vnde conueniunt illis prædicata contradictoria, nam oculus videt, pes non videt; ergo actu diſtinguntur.

Reſpondent Digbæus, & Thom. non poſſe ſenſum vllam prorſus in corpore partem deſignare, id enim ſi poſſet, indicaret etiam præciſe vbi pars illa inciperet, vbi deſineret, quod facere non poteſt; qua ratione ergo poterit diſtinctionem vnius ab altera diſcernere? ſecundò, aliqua eſſe in intellectu per modum abſtractorum & ex vi apprehenſionis quaſi circumciſa ſunt & nihil aliud ſecum compatiuntur. Igitur nomen partis vt ſic, includit ex vi vocis negationem & totius & compartis, quod idem eſt de ſpecialibus agnominationibus partium, vt capitis, oculi: &c. huiuſmodi enim vocabula latentes claudunt ex vſu hominum excluſionem cæterorum membrorum. Vnde patet oculum ſignificare vim viſiuam hominis; pedem, vim progreſſiuam; caput, vim cognoſcitiuam, id eſt animal ſecundùm talem facultatem. Manifeſtum eſt itaque, quod cum talis facultas non ſit præciſe in membro, ſed in

eo vt compacto cum aliis totum animal ſignificat vox, ſed cum reduplicatione, quatenus hanc facultatem habet, ſeu cum excluſione cæterorum, non quatenus alia habet. Palam eſt itaque tam naturales eſſe has voces, pes non eſt manus, quam has, homo, vt habens vim progreſſiuam non eſt homo vt habens vim comprehenſiuam, ſeu vt progreſſiuus tantummodò non eſt comprehenſiuus, quod non officit vnitati compoſiti, imo magis illam infert & ſic ad reſpondendum illis omnibus contradictionibus valet & ſufficit diſtinctio virtualis.

Contra: videtur ſenſus poſſe deſignare partes ſaltem aliquas, verbi gratia, oſſa & terminum illorum indigitare. Sed eſtò, non poſſint ſenſus, poterit angelus, vel ſaltem Deus, quid ni? an forte quia nullus eſt terminus? ſed oſſa cum carne non ſunt eadem ſubſtantia; ergo aſſignari poteſt ſaltem à Deo vbi incipiant & deſinant; cum enim non ſint vnum ſimpliciter, ſed ſint vnita, vbi vniantur deſignari poteſt. Secundò, fateor facultates ſuperadditas non eſſe ſolùm in ſingulis membris, ſed in illis vt vnitis, pluralitatem autem membrorum non negat aduerſarius, ſicut nec apoſtolus quando dicit, ſicut in vno corpore multa membra ſunt. Sed de iſtis membris quæram num ſint diuiſibilia in infinitum & ſic redit quæſtio. Similiter fateor nos non dicere manus tetigit hoc, ſed ego tetigi hoc, quod non impedit quin debeamus dicere me diſtingui à manu diſtinctione includentis ab incluſo & manum diſtingui à pede tanquam vnum inſtrumentum coniunctum ab alio inſtrumento coniuncto.

Probatur tertiò: quidquid mouetur prius tranſit minorem partem loci quam maiorem; ſi autem

continuum.

continuum ſit diuiſibile in ſemper diuiſibilia non datur aliqua minima pars loci;ergo falſum eſt tranſire minimam partem loci, antequam tranſeat maiorem. Non itaque poſſibile eſt moueri quidpiam, ſi vera ſit ſententia aduerſariorum, ita arguebat Zeno in Ariſtotelem.

Reſpondet : falſum eſt mobile non tranſire partem maiorem æquè cito ac minorem ; cum enim minor ſit pars maioris,tranſeundo minorem, tranſit etiam maiorem videlicet ex parte : nam cuiuſlibet partis determinatæ poteſt aſſignari medietas, & ſic aliqua pars erit immediata ipſi mobili & primo pertranſeunda.

Contra : maiorem partem tranſit mobile ex parte ; ergo dantur partes. Deinde, eſto, cuiuſlibet partis poſſit aſſignari medietas, nonne iſtius medietatis aſſignari poteſt alia medietas, & iſtius alia, & ſic in infinitum? atque adeo non ſoluit difficultatem.

Obiicies primò, compoſitura, ſeu compoſitio quæ eſt forma compoſiti facit aliquid per eſſentiam eſſe intenſiuè vnum; ergo neceſſariò opponitur pluralitati quam excludit, & quam oportet intelligere in his ex quibus compoſitum fit in illa præexiſtentia, in qua ſunt terminus à quo compoſitionis, quæ eſt motus à diuiſis ad compoſitum. Confirmatur : nam qui congregat oues in caulam, vnit eas, ſed per vnitatem caulæ,&c. ſemper inueniemus vnire eſſe vnitatem facere.

Reſpondeo, omnem compoſitionem facere vnum,vnum,inquam, vnitate compoſitionis, non vnitate ſimplicitatis ; & exemplum allatum pro nobis facit : nam ſicut oues ita faciunt vnam caulam, vt quælibet [illegible] maneat diſtincta ab alia, ita

etiam

etiam in continuis quælibet pars remanet diſtincta ab alia licet non diuiſa.

Obiicies ſecundò, vel partes ex ſeſe ſunt vnitæ, vel mediante alia comparte, quam vnionem vocant: Si primum, videtur eſſe contradictio dicendo illas ex ſeſe eſſe ſingulas, & ſuis ſingularitatibus eſſe vnum. Deinde habentne extra compoſitionem idem ſingulæ ſuum eſſe quod in compoſitione: ſi negas, eâdem operâ dicis eas non eſſe extra compoſitionem; ſin ais, eo ipſo affirmas extra compoſitionem eſſe compoſitas, cum non ſint compoſitæ, niſi per hoc quod formaliter iis ineſt extra compoſitionem; ſi verò ſecundum, iam erunt tres entitates; atque adeo maior pluralitas, quam prius erat. Videte optimi Philoſophi, an hæc ſit via ad vnitatem.

Reſpondeo partes ex ſe vniri, & nullam ibi eſſe contradictionem, quod ſcilicet illæ ſingulæ ſint in ſe, & fiant vnum compoſitum, imò vero, tantùm abeſt vt ſit contradictio, quin imò aliud intelligi nequeat; habent igitur extra compoſitionem idem eſſe ac in compoſitione, idem, inquam, quoad ſuam ſubſtantiam, licet non habeant eundem modum, vt explicuimus cum de vnione; nec ſequitur eſſe compoſitas, quia non ſunt compoſitæ, ſiue vnitæ in ſe abſolutè conſideratæ, ſed tantùm relatiuè conſideratæ cum modo vnionis.

Obiicies tertiò, vnius entis vna eſt definitio, ſed compoſitum vnica definitione eſt comprehenſibile; ergo eſt vnicum ens & plures entitates formaliter includere non poteſt.

Reſpondeo, illud axioma vel falſum eſſe, vel pati aliquam explicationem, idem enim poteſt diuerſimodè definiri, prout diuerſimodè à nobis

conſidera

conſideratur; idem enim poteſt concipi per conceptûs inadæquatos. Deinde nonne omnes homines comprehenduntur vnica iſta definitione, animal rationale, & tamen nonne ſunt plures. Demum compoſitum eſt vnicum ens in ratione compoſiti; at ens eſt multiplex ratione partium ex quibus conſtat.

Qvæstio VI.

Quid ſentiendum de opinione aſſerente continuum conſtare ex punctis phyſicis.

HÆc opinio multùm laudanda eſt, quia clarè continui compoſitionem proponit. Eorum igitur qui aſſerunt continuum conſtare ex punctis phyſicis aliqui ſic ſuam opinionem proponunt, vt velint illa puncta modò eſſe maiora, modò minora, vnde ab aliquibus dicta ſunt puncta inflata & diuiſibilia in potentia, idque duobus modis, primò intrinſecè; quia quodlibet poteſt eſſe minus, & minus in infinitum. Secundò, extrinſecè, quia poteſt coextendi pluribus & pluribus in infinitum, & in hac opinione ſunt Ioannes de Lugo, Honoratus Faber, & Mouſnerius Medicus. Alij verò cenſent illa puncta non poſſe ſic in infinitum eſſe minora naturaliter, ſed dicunt ita eſſe flexibilia, vt figuram mutent æqualem ſemper ſeruando extenſionem longitudine compenſante latitudinem, & ſic opinatur eruditiſſimus Magnanus. Denique eandem ſemper ſeruare figuram puncta illa contendunt, & hæc eſt ſententia Gaſſendi, quam retuli ſuperiùs & approbaui.

Dico, continuum conſtat ex atomis, ſiue punctis phyſicis. Probatur: non datur infinitum actu; ergo continuum

continuum non conſtat ex infinitis actu; ergo conſtat ex indiuiſibilibus actu; ſi enim eſſet diuiſibile actu in infinitum, conſtaret ex infinitis actu; atqui illa indiuiſibilia non poſſunt eſſe puncta mathematica; ergo debent eſſe puncta phyſica.

Obiicies primò, punctum additum puncto non facit maius, quia vnum tangit aliud ſecundùm ſe totum. Reſpondeo, verum eſſe axioma de puncto mathematico, non verò de phyſico, quia vnum punctum non tangit aliud adæquatè & penetratiuè, ſed tantùm terminatiuè; ita vt ſuperficies vnius adhæreſcat ſuperficiei alterius eo modo quo Angeli poſſunt ſeſe adinuicem tangere: vnde diſtingui ſuperficiem à puncto non eſt dicendum, modò caſtigetur imaginatio, quæ vt plurimum diuerſas facies concipit vt partes.

Obiicies ſecundò, linea ſeptem punctorum non poſſet diuidi biſſariam. Reſpondeo diuiſione mathematica, Nego: nam media illius lineæ pars erit ex tribus punctis, & dimidia parte ſpatij alterius, poſito quod puncta ſint æqualia; diuiſione phyſica ſi puncta ſint æqualia, Concedo: ſi inæqualia, Nego. Poterit enim fieri vt quatuor puncta non occupent plus ſpatij, quam alia tria, ſed hoc ſufficit ad demonſtrandas & verificandas demonſtrationes mathematicas.

Obiicies tertiò, à quolibet puncto circuli maioris duci poteſt linea ad centrum, quæ tranſeat per circulum minorem concentricum; ergo tot erunt puncta in circulo minori quot in maiori, quod eſſe non poteſt; dicendum eſt ergo ibi eſſe partes in infinitum diuiſibiles.

Reſpondeo, non eſſe tot puncta in circulo minori ac in maiori; ſi enim illa puncta ſint æqualia,

lia, quodlibet punctum minoris reſpondebit pluribus punctis maioris circuli; at mathematicè licitum eſt continuum quamtumvis exiguæ extenſionis diuidere in partes proportionales ita innumeras vt nullo finito numero comprehendi poſſint, nec propterea fallitur mathematicus ita cogitans; neque enim continuum ita ſe habere aſſerit, ſed ſimpliciter ita conſiderat quantitatem vt adæquata illius diuiſio ſucceſſiuè nunquam poſſit compleri; abſtrahit enim.

Objicies quartò, mobile velox non poſſet aſſequi mobile tardum. Reſp. Nego, quia poterit mobile tardum quolibet inſtanti tantùm aſſequi dimidiam vel tertiam partem ſpatij vnius puncti, ſecus verò mobile velox poterit totum punctum pertranſire.

Objicies quintò, linea diagonalis eſſet commenſurabilis coſtæ. Reſp. Nego, quia poterit punctum lateris reſpondere pluribus punctis diagonalis.

Objicies ſextò, globus non poſſet tangere planum niſi in parte plana, quia tangeret per ſuperficiem puncti. Reſpondeo, poſſet tangere per angulum ſuperficiei, & ſic tangeret in puncto. Deinde ſi globus perfectus eſſet, nulla eſſet pars plana vnde omnia illa puncta quæ eſſent in extima ſuperficie conuexa haberent ſuperficiem conuexam. Sic cum proportione Reſpondendum eſt obiectionibus quæ à figuris mathematicis petuntur.

Objicies ſeptimò, hæc hypothesis damnata fuit à Concilio Conſttantienſi ſeſſione 15. vbi ſic legitur. *Linea aliqua mathematica continua componitur ex tribus vel quatuor punctis immediatis aut ſolum ex punctis ſimpliciter finitis: vel tempus eſt, fuit,*

fuit, vel erit compoſitum ex ſolis inſtantibus immediatis. Item non eſt poſſibile quin tempus & linea, ſi ſint, taliter componantur: prima pars eſt error in philoſophia, ſed vltima errat contra diuinam potentiam.

Reſpondeo, illam cenſuram quæ illi propoſitioni ſubiungitur non eſſe verba Concilij, ſed cuiuſdam Henrici de Piro Promotoris & procuratoris qui tunc accuſabat Ioannem Hus, vt euidentiſſimè patebit legenti; nam in illa ſeſſione habetur eius petitio in qua ponit articulos quos petebat damnari ab Eccleſia contra prædictum hæreticum, inter quos illam propoſitionem vt errorem in philoſophia poſuit, Concilium verò illam nulla affecit cenſura & inter errores noluit recenſeri, vt videre eſt in catalogo in eadem ſeſſione relato, & in catalogo Martini V. ſeſſione 43. Ratio eſt, quia Eccleſia non iudicat de rebus merè philoſophicis. Cum igitur hæc propoſitio, licèt à promotore expoſita & accuſata non fuerit à concilio reprehenſa, ſignum eſt eam non mereri condemnationem, ſed potius tacitè fuiſſe approbatam.

Nota primò, quantum poſſe comparari cum alio quanto, vel ratione extenſionis, vel ratione terminationis. Ratione extenſionis dicitur æquale: vel inæquale. Ratione terminationis dicitur ſimile vel diſſimile.

Nota ſecundò, ſitum dicere primò aliquam extenſionem. Secundò poſitionem ſeu diſpoſitionem quandam partium inter ſe. Tertiò ordinem ad principales partes mundi, ſi quis verò hæc omnia non requirat, ſitus perfectam notitiam non tradit. Verùm volo ſemper ne ſit quæſtio de voce.

ARTI

ARTICVLVS II.

De Infinito.

MIrum eſt quantum de infinito diſputatio increuerit: infinitas peperit difficultates eaſque, vt puto, inextricabiles; ita vt vix crediderim aliquid in ea demonſtrari poſſe, ſaltem quod conuincat alterius opinionis ſequaces, quia eò vſque pertinaciæ ventum eſt vt principia per ſe nota negentur. Opiniones probabiliores eligemus quæſtionibus ſequentibus.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit infinitum.

DIco primò, infinitum eſt illud quod caret termino: ſiue id cuius eſt ſemper aliquid extra ſumere.

Explicatur: licet infinitum videatur conſiſtere in negatiuo, attamen reuera eſt aliquid poſitiuum, cum finitum importet negationem vlterioris extenſionis; vnde etiam rectè definitur ab Ariſtotele id cuius eſt ſemper aliquid extra ſumere: quaſi diceret infinitum eſſe illud in quo, quidquid ſumpſeris, reſtat aliquid ſemper ſumendum, v. g. ſi daretur infinita hominum multitudo, quæcunque ſumatur multitudo finita & quantumvis repetatur, nunquam exhauriet totum, ſed ſemper ſupererit aliquid ſumendum. Quapropter dicendum eſt illam carentiam termini

nihil

nihil aliud aſſe quam extenſionem, magnitudinem, multitudinem, perfectionem ſemper continuatam, ita vt exhauriri nequeat.

Dico ſecundò, infiniti diuiſiones præcipuæ ſunt, prima à veteribus authoribus circumferebatur in infinitum per priuationem perfectionis, quia id quod dicebatur ſic infinitum, nullam prorſus habebat perfectionem qua finiretur & determinaretur; & ſic dicebant materiam eſſe ex ſe infinitam, quia ex ſe non erat finita, ſeu determinata per vllam formam. In infinitum per negationem limitationis quod proprie infinitum eſt.

Secunda, eſt in infinitum per eſſentiam, & in infinitum accidentaliter. Primum eſt illud quod in ſe continet omnes omnino perfectiones, ita vt illo nihil poſſit excogitari melius aut perfectius, quod ſoli Deo conuenit; conſtat autem & per rationem & per fidem dari tale infinitum, atque adeo de illo hîc non eſt quæſtio. Secundum eſt illud quod caret termino ſecundum aliquam rationem accidentalem, ſic ſi daretur infinitus numerus hominum, homines non eſſent infiniti ſecundùm eſſentiam, ſed ratione multitudinis.

Tertia, eſt in infinitum in multitudine, magnitudine, & intenſione. Primum ſpectat ad numerum. Secundum ad extenſionem. Tertium ad qualitatem.

Quarta, in infinitum actu & in infinitum in potentia. Primum dicitur alio nomine infinitum categorematicum, & eſt illud cuius totum quod eſt, actu eſt, vel eſſe poteſt ſimul: infinitum verò in potentia alio nomine dicitur infinitum ſincategorematicum, & eſt illud quod ratione partium

partium quas actualiter habet, eſt finitum, ratione tamen partium addendarum eſt infinitum, v. g. data quælibet multitudo hominum actu finita eſt, infinita verò potentia; quia data qualibet poteſt dari maior.

Quinta, infinitum ſyncategorematicum conſiderari poteſt vel in diuiſione, vel in ſucceſſione, vel in additione, vel in perfectione qualibet. Primum admittitur ab his qui opinantur continuum eſſe proportionaliter diuiſibile in infinitum, id eſt data qualibet extenſione creata poſſe dari minorem & minorem in infinitum: data verò qualibet extenſione creata poteſt dari maior & maior in infinitum, & hoc eſt infinitum in additione: data qualibet duratione poteſt dari prior & prior in infinitum, itemque poſterior & poſterior in infinitum, & hoc infinitum in ſucceſſione. Denique data qualibet velocitate & tarditate, dato quolibet impetu, data qualibet creatura, dari poteſt maior & maior, ſiue perfectior & hoc eſt infinitum in perfectione.

Sexta, eſt in infinitum obiectiuum & reale. Primum eſt quod eſt in ſolo intellectu cognoſcente. Secundum eſt à parte rei.

QVÆSTIO II.

An detur infinitum.

QVidam fuerunt hæretici qui dixerunt à Deo non potuiſſe produci creaturas alias neque in ſpecie neque in indiuiduo ab his quæ de facto productæ ſunt, ita Abaylardus, Viclefus. Joannes Hus, & alij quorum ſententia damnata eſt in Concilio Conſtantienſi: ſeſſ. 15. alij licet catholici

cenſuerunt poſſe Deum producere alias creaturas & diuerſas ab his quæ de facto productæ ſunt, omnes tamen eſſe finitas numero & pro hac ſententia refertur Scotus ab arriaga diſp. 13. phyſ. ſect. 2.

Dico primò, poſſibilia ſunt alia indiuidua ab his quæ de facto fuerunt aut erunt. Probatur primò potuerunt homines qui à nuptiis abſtinuerunt matrimonium contrahere; ſed illi poterant habere filios, qui nunquam erunt; ergo potuerunt eſſe alia indiuidua hominum. Idem argumentum poteſt fieri de aliis animalibus & plantis quæ ab hominibus impedita ſunt ne producerent.

Probatur ſecundò, ſi vera eſſet ſententia contraria, ſequeretur fruſtra homines occidere animalia nociua, ne noua producant, quandoquidem non eſſent poſſibilia alia entia, quia verò omnes rationes quæ afferuntur pro ſtabilienda ſequenti concluſione valent etiam pro ſtabilienda iſta, ideo

Dico ſecundò, poteſt Deus producere infinita indiuidua ſyncategorematicè: ita vt tota illa multitudo careat vltimo & ſignato quocunque numero, poſſunt ſine fine alia ſignari quæ poſſit Deus producere.

Probatur primò, poſitio vnius indiuidui non tollit poſitionem alterius; ergo quacunque multitudine producta poteſt Deus aliam & aliam ſemper producere; neque enim debilitatur potentia Dei vna multitudine producta, alioquin, quomodo dici poſſet omnipotens? aliunde ipſe, vt operetur, ſubiecto non indiget; poteſt enim creare. Quod ſi velit in ſubiectum aliquod operari, poteſt prius creare ſubiectum.

Confirmatur: poſſunt homines multiplicari in

eadem

eadem ſpecie humana ſine fine; nullus enim poteſt aſſignari certus numerus hominum vltra quem non poſſit aſſignari alius homo; non enim eſt potior ratio cur poſſint quatuor, quam ſex; quæ enim erit repugnantia, ſi dicatur Deum poſſe producere ſex?

Dices poſſe aſſignari quemcunque numerum dummodo non ſit infinitus. Contra: quia quicunque numerus finitus aſſignetur, rogo cur non poſſit eſſe alius homo, an fortè quia ſequeretur dari poſſe infinitum actu? ſed ſi non eſt aliud argumentum, concedenda eſt ſequela potius quam negetur veritas euidens.

Inferes dari infinitum ſyncategorematicum, quod nihil eſt aliud quam infinitum in potentia, quatenus dantur creaturæ quarum multitudini poſſunt addi plures & plures in infinitum.

Dico tertiò, non datur de facto infinitum cathegorematicum reale.

Probatur primò, non debet admitti infinitum ſine aliquo fundamento; at nullum eſt admittendi infinitum cathegorematicum, imò adeſt aliqua ratio illud non admittendi: nam omnes res materiales comprehenduntur cœlo empyreo; nulla verò eſt reuelatio Angelos eſſe infinitos, imò de illis dicitur quod Lucifer ad partes ſuas traxerit caudâ tertiam partem ſtellarum, ſiue Angelorum, atque adeo, quandoquidem multitudo dæmonum eſt tertia pars Angelorum, ſequitur Angelos non eſſe infinitos in multitudine, & iuxta Sapientem, Deus fecit omnia in numero, pondere, & menſura.

Dico quartò, datur infinitum obiectiuum cathegorematicum.

Probatur: creaturæ poſſibiles ſunt infinitæ, vt probatum

probatum eſt ; ſed Deus cognoſcit omnes ; ergo cognoſcit actualiter creaturas infinitas ; atque adeo in actuali cognitione Dei omnium poſſibilium comprehenſiua exiſtit actu obiectiuè multitudo illa categorematicè infinita.

Dices omnes creaturas non cognoſci à Deo categorematicè. Reſpondeo hoc non poſſe dici, niſi per maximum errorem ; ſequeretur enim Deum habere imperfectam notitiam & ſucceſſiuam. Quare dicendum Deum ſimul & ſemel omnia poſſibilia cognoſcere, atque adeo categorematicè.

Dico quintò, infinitum reale in multitudine categorematicum poſſibile eſt.

Probatur primò, tale infinitum non repugnat ex parte Dei ; ergo poterit exiſtere actu ſimul & ſemel infinita multitudo, nec etiam repugnat ex parte ſui.

Probatur prima pars. Deus eſt omnipotens; ergo habet ſufficientem virtutem ad producendum quidquid ex ſe non repugnat.

Probatur ſecunda pars. Infinitum in multitudine non repugnat in ſtatu meræ poſſibilitatis, vt oſtenſum eſt ; ergo nec in ſtatu exiſtentiæ. Probatur conſequentia. Exiſtentia vnius hominis non tollit exiſtentiam alterius ; ergo vnus non impedit quominus ponantur ſimul & ſemel alij omnes.

Probatur ſecundò, ſpecialiter contra eos omnes qui dicunt negationes exiſtere reuera in rebus. In quolibet lapide ſunt infinitæ negationes; ergo non ſolùm poſſibile erit infinitum, ſed etiam reuera exiſtet. Probatur antecedens, tot ſunt negationes in lapide quot de illo entia negari poſſunt ; atqui infinita entia negari de illo poſſunt; omnia

omnia enim entia poſſibilia diſtincta à lapide de illo negari poſſunt ; ergo in illo ſunt infinitæ negationes.

Dices quæſtionem eſſe de infinito reali poſitiuo, non verò de infinito reali negatiuo. Contra: eadem eſt difficultas de vtroque ; atque adeo, ſi poſſibilitas vnius admittitur, debet etiam admitti poſſibilitas alterius.

Probatur tertiò, Deus cognoſcit infinitos homines poſſibiles ; ergo poterit ſimul & ſemel illos producere ; quid enim impediret, ſi ipſe Deus vellet? nam poteſt Deus velle producere omne producibile, quo poſito nunquid cogetur Deus producere modò centum, modò mille, modò decem millia? quaſi verò prima vice brachium Domini laſſatum fuerit, vel laſſari potuerit. Prætereà: dicis Deum poſſe producere infinita, producat. En producet Deus decem, vel mille, &c. ſed illud non quæro, quæro enim, vt producat infinita. Certè quidquid ſic producet, finitum erit & ſic fruſtra erit potentia, quæ nunquam poterit reduci ad actum.

Dices, exhauriretur omnipotentia diuina. Contra : in illo caſu non exhauriretur omnipotentia diuina ; ſed magis vigeret. Deinde omnipotentia diuina non eſt magis infinita, quam ſcientia, quæ talis eſt vt prætereà, quæ cognoſcuntur actualiter illâ ſcientiâ non ſit aliquid aliud cognoſcibile ab illa ; ſed illa ſcientia non dicitur exhauriri, nec finiri ; ita nec omnipotentia finiretur producendo omne producibile. Ratio à priori eſt, quia non poſſe produci aliud præter iam producta oriretur, non ex imperfectione Dei, ſed ex repugnantia obiecti, ſicut non cognoſci à Deo præter id quod cognoſcitur, prouenit ex repugnantia

gnantia obiecti, non ex imperfectione ſcientiæ. Demum productis omnibus producibilibus non exhauriretur omnipotentia, quia vigent in conſeruatione illorum, imò poſſet Deus illa omnia annihilare, & iterum producere; ergo cum poſſibilia non repugnent, & omnis poſſibilitas ſit in ordine ad exiſtentiam, omnia poſſibilia poſſunt exiſtere etiam ſimul, cum nihil poſitiuum ſit cum altero poſitiuo incompoſſibile, vt patet in permanentibus & in ſucceſſiuis, non poteſt eſſe difficultas cum nulla eſſe poſſiat, & quamvis eſſet aliquid, illud deberet excipi ob ſuam intrinſecam repugnantiam.

Probatur quartò, Deus vtpote immenſus vbique eſt & infinita ſpatia, quæ communiter dicuntur imaginaria replet; atqui poteſt Deus in quolibet puncto ſpatij imaginarij, producere vnum Angelum, & quidem ſimul & ſemel: nam poteſt ibi Deus agere, vbi eſt; atqui in infinitis punctis aſſignabilibus ſimul & ſemel eſt; ergo in infinitis punctis ſimul & ſemel agere poteſt; quid enim impedit quominus, dum in vna parte agit, agat in alia, quandoquidem vbique eſt, etiam in illis ſpatiis immenſis, vt infrà probabimus?

Obiicies primò, ſequeretur totum non eſſe maius ſua parte. Probatur ſequela: infinita multitudo quaternariorum non poteſt coaleſcere ex finita multitudine binariorum; ergo multitudo binariorum eſſet infinita, adeóque pars eſſet æqualis toti. Reſpondeo: hoc argumentum quod tanquam Achilles proponitur ab aduerſariis facilè ſoluitur dicendo multitudinem binariorum eſſe infinitam; ſed inde non ſequi partem eſſe æqualem toti; bene tamen omnes partes ſimul eſſe æquales toti; igitur in allata hypotheſi vnum

infinitum

infinitum quaternariorum contineret duo infinita binariorum.

Dices: inde ſequi vnum infinitum eſſe maius alio, quod eſt abſurdum. Contra: tantum abeſt vt illud ſit abſurdum, imò ſit maximè rationi conſentaneum: nam ex probatis datur infinitum obiectiuum, in quo tamen reperitur eadem difficultas: nam Deus dum actualiter cognoſcit infinitos homines poſſibiles, nonne in quolibet cognoſcit duos oculos, & decem digitos? ſoluatur hæc difficultas prius, & ego deinde ſoluam obiectionem. Et quid mirum eſt ſi in infinito cognoſcendo laboremus qui finitum habemus intellectum, aliqui verò dicunt in infinito non eſſe magis & minus, æquale vel inæquale. Verum illud dici gratis arbitror, ſicut & illud quod dicunt in infinito non eſſe partes, quia pars debet eſſe proportionata toti, at finiti ad infinitum nulla datur proportio. Sed ſi dicatur quamlibet medietatem eſſe infinitam, arbitror inde nullam ſequi contradictionem, repugnat tamen dari aliquam partem aliquotam finitam infiniti, verbi gratiâ, vnam tertiam, vnam quartam, &c. Sic enim aliquid finitum ter, vel quater repetitum exhauriret infinitum, quod fieri nequit. Sed dicere centum homines eſſe partem infinitorum hominum credo negari non poſſe, imo exhaurirent infinitum, ſi infinite repetantur. Ex his omnibus concludendum eſt vnum infinitum poſſe eſſe alio maius ſine vlla contradictione, ſaltem materialiter, ſicut vnus circulus poteſt eſſe maior alio, & tamen in vtroque reperietur formalitas circuli.

Objicies ſecundò, quidquid eſt producibile cadit ſub determinatam intentionem agentis; ſed infinitum vtpote carens termino non cadit ſub

determinatam intentionem agentis; ergo. Reſpondeo Nego minorem, nam ſi Deus produceret infinitum, haberet reuera illius producendi voluntatem determinatam & directam infallibili cognitione. Deinde voluntas Dei eſſet determinata potius ad producendos infinitos angelos: v.g. quam lapides, illudque infinitum dirigère poſſet ad aliquem finem, ad ſuam ſcilicet omnipotentiam manifeſtandam.

Obiicies tertiò, repugnat multitudinem non eſſe in aliqua ſpecie numeri; ſed omnis numerus eſt finitus; ergo repugnat multitudo non finita. Reſpondeo numerum alium eſſe formalem, alium materialem, ſiue obiectiuum. Formalis nihil eſt aliud quam actus intellectus ordinantis aliquam multitudinem, ipſamet verò multitudo eſt numerus materialis; igitur infinita multitudo eſſet numerus materialis, ſed infinitus, niſi ſit quæſtio de voce: formaliter verò talis multitudo numerari non poſſet, ſaltem totaliter; hoc enim tantùm pertinet ad multitudinem finitam; vt enim quædam multitudo numeretur totaliter, vltima vnitas aſſignari debet, at in infinito non eſt vltima vnitas.

Obiicies quartò, ſi infiniti homines conſpirent ad mittendos ſingulos lapides in aceruum, illi lapides eſſent infiniti, reſumat vnuſquiſque ſuum lapidem, ſequitur aceruum exhauſtum iri, quia tot lapides fuerunt ablati quot coniecti, & non exhauſtum iri, quia infinitum non habet finem, neque conſumitur ablatione finiti. Reſpondeo, illum aceruum exhauſtum iri, ſed non eſſet ablatio finiti, ſed infinitorum, ablatio autem finiti eſt quæ non exhaurit infinitum; ſi enim ab infinito auferretur 10. 20. &c. ſemper remaneret infinitum;

ſi

ſi verò tollitur ipſummet infinitum, quid mirum quod nihil remaneat? & quid mirum infinitos Angelos infinitos lapides auferre poſſe?

Obiicies quintò, ſi darentur infiniti Angeli, & illi applicarent ſuum omnem conatum ſimul ad mouendum lapidem, mouerent illum infinita velocitate; ergo in inſtanti quod eſt impoſſibile; ergo & illud, vnde ſequitur. Reſpondeo repugnare motum fieri in inſtanti, quia in ſua formali ratione dicit ſucceſſionem, & deberet lapis eſſe ſimul in termino à quo & in termino ad quem, quod fieri nequit per potentiam creatam, & Deus poteſt ponere ſimul & ſemel idem in pluribus locis in inſtanti; at id non fiet motu ſucceſſiuo tranſeundo per medium.

Obiicies ſextò, ex quacunque multitudine, ſi vel vnus lapis extrahatur, qui remanent non ſunt infiniti; ergo neque antea: nam infinitum ex ablatione finiti non fit finitum. Probatur antecedens: poſt ablationem non ſunt tot quot antea; ergo illi qui remanent non ſunt infiniti; ſicut enim id non eſt infinitum in omni genere quod non continet omnes perfectiones poſſibiles, ita illud non eſt actu infinitum in aliquo genere quod non continet omnem perfectionem illius generis. Reſpondeo detracto quocunque finito ſemper remanere infinitum, & reuera non ſunt tot quot antea. Ad illud quod dicitur de infinito in omni genere, dico, vt aliquid dicatur infinitum in omni genere debere habere omnem perfectionem excogitabilem, vel formaliter, vel eminenter, vel virtualiter, non eſt autem neceſſe, vt habeat omnes in indiuiduo, verbi gratiâ, Deus eſt infinitus in omni genere, ſed non continet perfectiones creaturarum in indiuiduo, ita vt perfectio quæ

eſt in creatura eadem numero ſit in Deo; hoc enim implicat, ſed longè excellentiores habet Deus; ita non eſſet neceſſe vt multitudo lapidum infinita omnes lapides contineret.

Obiicies ſextò, infinitum categorematicum in magnitudine non repugnat. Probatur ex præcedenti concluſione; cum enim repugnet dari infinitos lapides, ſi vniantur, fiet infinita moles.

Obiicies primò, omne corpus habet figuram, ſed corpus infinitum non habet figuram; ergo non eſt poſſibile. Reſpondeo aliquos admittere corpus infinitum poſſe eſſe figuratum, ſed de hac ſententia infrà. Interim dico corpus quidem finitum eſſe figuratum, non verò infinitum, & hoc non eſſe neceſſe ad ſaluandam rationem corporis.

Obiicies ſecundò, omne corpus eſt mobile, ſed corpus infinitum non eſſet mobile; ergo non poteſt dari corpus infinitum. Reſpondeo corpus infinitum fore mobile ratione ſuarum partium, & hoc ſufficeret, imò ſi poſſibile ſit infinitum clauſum terminis, poſſet moueri totum, quia non occuparet omne ſpatium. Verùm ſufficiat, quod argumenta conuincant poſſibilitatem infiniti, de modo exiſtentiæ multum curandum non eſt; quis enim intellectus poteſt naturaliter cognoſcere clarè infinitum, cum ipſe finitus ſit.

Obiicies tertiò, ſi eſſet poſſibile vnum corpus infinitum, eſſent etiam poſſibilia duo, at vbinam ſecundum poneretur? Reſpondeo, primum non occuparet fortè omne ſpatium, vel ſe inuicem penetrarent.

Dico ſeptimò, infinitum categorematicum in intenſione non repugnat. Probatur ex præcedentibus concluſionibus; poſſunt enim poni infinitæ partes ignis in eodem loco, vnde fieret calor

calor infinitè intenſus, à quo tamen non fieret calefactio in inſtanti, quia hæc non fit, niſi motu locali.

Obiicies ſequeretur poſſe dari viſionem Dei infinitè intenſam, at hoc dici non poteſt: nam illa viſio eſſet illius comprehenſio, quod eſſe nequit. Reſpondeo, Nego fore comprehenſiuam, quia cum vnum infinitum poſſit eſſe alio minus, eſſet quælibet viſio creata, licèt infinita, minor cognoſcibilitate Dei, quæ à ſola cognitione Dei perfectè adæquari poteſt.

Inferes ex his omnibus vnum è duobus neceſſariò concedendum eſſe, vel Deum non poſſe producere infinitum ſyncategorematicè, atque adeo creaturas poſſibiles eſſe finitas: vel infinitum reale categorematicum non repugnare. Primum non poteſt dici ſaltem commodè ad principia fidei: ſecundum verò ſequitur neceſſariò ex eo quod ponatur creaturas poſſibiles eſſe infinitas.

Inferes ſecundò, quam parum conſequentèr loquantur Thomiſtæ, qui dum ſentiunt mundum potuiſſe eſſe ab æterno, negant poſſibilitatem infiniti: nam ſi mundus fuiſſet ab æterno, iam eſſent infinitæ animæ rationales. Nec dicas cum Maillat Deum, cum produxiſſet aliquas, debere alias deſtruere: quia hoc gratis dicitur & ſine fundamento, quaſi verò Deus non poſſit à nihilo omnes producere & poſitio vnius animæ obſtaret poſitioni alterius.

QVÆSTIO III.

Quomodo ſoluendæ ſint reliquæ quæſtiunculæ circa infinitum.

QVia, vt dixi, præ debilitate intellectus noſtri infinitum capere non poſſumus, ſequentibus quæſtiunculis, quaſi palpando & problematicè reſpondebo.

Quæres primò, an creatura omnium perfectiſſima creari poſſit. Suppono creaturam omnium perfectiſſimam ſecundùm quid non repugnare; hoc enim eſt tantùm ſecundùm aliquem reſpectum, verbi gratiâ, maternitas Dei eſt omnium perfectiſſima, quia non poteſt etiam diuinitùs fieri mater maioris. Quæſtio igitur eſt de perfectiſſima abſolutè in ſe.

Pars negans ſic probatur; quia quâcunque aſſignatâ poteſt Deus aliam perfectiorem producere: & ſi daretur omnium perfectiſſima, vnde haberemus primum Angelum non eſſe creaturam omnium perfectiſſimam, nec poſſemus conuincere Abaylardum & Vviclefum aſſerentes Deum non poſſe producere perfectiores creaturas quam quas produxit.

Dices, multi ſancti Patres aſſeruerunt mundum ita eſſe perfectum, vt perfectior fieri nequeat. Contra: mundum non poſſe fieri perfectiorem ſecundùm ordinem, quia eſt ordo infinitæ Sapientiæ; nec ſecundùm finem à ſe intentum; poterat tamen perfectiorem producere quoad ſubſtantias creaturarum, & quoad qualitates accidentales.

Pars affirmans ſic probatur. Si producerentur omnes creaturæ poſſibiles, vel vna eſſet excedens

alias

alias in perfectione, vel aliquæ eſſent æquales quæ à nulla alia excederentur, & iſtæ eſſent perfectiſſimæ.

Quæres ſecundò, an poſſibiles ſint ſpecies rerum perfectiores & perfectiores in infinitum: & hoc intra duas quarum vna ſit alia perfectior. Prima pars quæſtionis non habet difficultatem; cum enim aliæ creaturæ ſint poſſibiles, poterit eſſentia diuina infinitis modis ab illis participari, cum nulla ſit à qua adæquatè participari poſſit, ex quo ſecunda pars reſoluitur & quidem

. Pars affirmans probatur: nam ſicut diuina perfectio poteſt ex parte ſui infinitis modis participari, ita ſumpta in ratione vitæ non repugnat participari infinitis modis, qui cum non dicant, niſi vitam præcisè, erunt omnes neceſſariò inferiores homine, v.g. & quia dicunt vitam, ſunt neceſſariò ſuperiores lapide.

Obiicies: omnes illæ ſpecies clauduntur terminis; ergo non ſunt infinitæ. Reſpondeo clauduntur terminis reſpectu multitudinis, Nego: Reſpectu perfectionis, Concedo

Pars negans probatur, quia ſequeretur hominem eſſe infinitæ perfectionis; conſequens non debet admitti; ergo nec antecedens. Probatur ſequela. Gradus ſuperior continet perfectionem inferioris, ſed homo eſſet in gradu ſuperiori dignitatis; ergo contineret in ſua vita omnem perfectionem illorum omnium viuentium, ſed hæc viuentia ſunt infinita non ſolùm in numero, ſed etiam in ſpecie; ita vt vnum aliud & iſtud etiam aliud, &c: excedat perfectione; ergo perfectio inferiorum eſt infinita, & infiniti exceſſus non poſſunt facere, niſi infinitam perfectionem.

Quæres tertiò, an poſſit dari infinitum clau-

ſum vtrinque terminis : quæſtio debet intelligi in eodem genere : nam dari infinitam lineam clauſam terminis qua parte non eſt infinita non eſt dubium apud eos qui admittunt poſſibilitatem infiniti ; at vtrum verbi gratiâ, poſſit dari corpus clauſum terminis vndique,v.g.circulus infinitus, triangulum infinitum,&c. aliqui aſſerunt, vt Arriaga, Magnanus,&c. alij verò negant.

Pars affirmatiua probatur ex eo quod vnum infinitum poſſit ſeruare rationem infiniti, licèt ſit minus alio infinito, vt diximus, atque adeo poterit eſſe infinitum corpus, verbi gratiâ, licèt non occupet omne ſpatium, ſed ſi non occupet omne ſpatium, habeat terminos neceſſe eſt.

Pars negatiua probatur, quia licet definitio infiniti importet aliquid poſitiuum ; connotat tamen negationem termini, ſicut licet differentia bruti, ſcilicet irrationale, conſiſtat in aliquo poſitiuo, connotat tamen eſſentialiter carentiam rationalis.

Deinde, ſi poſſibile eſſet tale infinitum, poſſibilis eſſet globus infinitus ; at vbinam centrum? Demum poſſet dari homo infinitus, ſed ecce qualem naſum haberet.

DISPVTATIO III.

De locato.

ESSE in loco non ſolùm conuenit corporibus, ſed etiam ſpiritibus ; dicitur enim de Angelo eſſe in paradiſo,

paradiſo, vel in terra, atque adeo in aliquo loco. Verùm cum nec Angelos vnquam viderimus, nec quid ſit eſſe in loco reſpectu illorum clarè nouerimus, de loco agere tantùm Philoſophi ſolent reſpectu corporum; at verò reſpectu ſpirituum dumtaxat per tranſennam; quia verò quæri poteſt num omnis locus repleatur aliquo corpore, vel ſit aliquis qui nullo prorſus corpore repleatur, ideo hic commodè de vacuo agi ſolet. Quapropter duo erunt articuli.

ARTICVLVS I.

De loco.

Locus, vt ait D. Auguſt. in libro de cogn. veræ vitæ, c.18. eſt ſpatium quod quodlibet corpus occupat lõgitudine, latitudine, & altitudine menſuratum, quod ſine dubio ſatis patet, niſi modorum error locum tenebris repleuiſſet. Quid igitur in rigore ſit, inueſtigandum eſt, tum ſubiungemus alias quæſtiones, quæ de illo fieri ſolent.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit locus.

Dico primò, locus rectè definitur ab Ariſtotele: continentis extremum immobile primum.

Explicatur. Dicitur primum, quia primò occurrit locato, ſic ſuperficies concaua, non verò conuexa dicitur eſſe locus liquoris quem continet. Vnde locus debet eſſe locato proportionatus, quomodo verò dicatur immobile, alij recurrunt ad ſpatia imaginaria, alij verò ad immenſitatem Dei, de quibus opinionibus aliquid infrà dicetur. Interim ſic explico immobilitatem loci.

Immobilitas loci requiritur tantùm ad motuum quantitates cognoſcendas & ad rerum diſtantias indagandas, quia ſi termini non eſſent fixi, nulla menſura fidelis eſſe poſſet, & ad hoc non eſt neceſſaria quædam phyſica immobilitas, ſed ſufficit immobilitas per mentalem abſtractionem à motu, metiri enim eſt opus mentis: neque neceſſaria eſt externa menſuræ applicatio, ſicut in geometria non ſunt neceſſariæ reales lineæ, ſed ſolum aſtractæ & apprehenſæ. Porro terram eſſe abſolute immobilem, cælum verò & aſtra conſtantiam in motu & immobilitatem ſecundùm quid habere apparet. Vnde vas quod refertur ad terræ & motus cœli determinatam partem erit immobile. Dicere itaque corpus eſſe in tali loco eſt dicere ipſum eſſe in corpore quod ad terram & cœlum habeat talem ſitum, v. g. à tali monte tantum diſtat versùs initium arietis vel ortum ſolis vel ad tales gradus latitudinis; hoc autem ſic debere intelligi

Probatur, nam ad quæſtionem, *vbi eſt*, Reſpondetur per illa quæ reſpectu noſtræ cognitionis ſunt immobilia, prius quidem per partes cœli, deinde per montes, flumina, vrbes, domos, arbores, tandem per parietes & fixa ad parietes, vel per minus mobilia, vt lectos, armaria, &c. Patet itaque

itaque locum eſſe corpus quod proximè ambit locatum prout concipitur in certo ſitu ad reliquum mundum, ſeu partes fixas mundi.

Obiicies nihil eſſe in mundo conſtans quod poſſit facere locum; ergo. Reſpondeo cum Thoma Anglo locum eſſe vocem ſignificantem ad placitum, & ſignificare rem cum quodam ordine ad intellectum; ideóque non eſſe quærendum aliquid quod ſit immobile, ſed quod appareat immobile; apparet autem etiam motus, ſi ſit conſtanter idem, habere quandam immobilitatem; & ſic ſufficit quod ſol conſtanter oriatur in vna parte, & occidat in alia ad determinandum locum.

Obiicies ſecundò, turris flante vento remanet immobilis, & tamen ſupercies aëris ambientis mutatur; ergo locus non eſt illa ſuperficies, atque adeo neque extremum ambientis: Reſpondeo eſſe in loco habere aliquid de morali. Quare modò ſuperficies conſimilis aduenıat, non dicitur mutaſſe locum;illa enim quæ aduenit, cum ſit æquiualens priori pro eadem in ordine ad locum haberi debet.

Obiicies tertiò, quando aqua eſt in vaſe & vna cum illo aliò transfertur, mutat locum, & tamen non mutat ſuperficiem corporis ambientis. Reſpondeo hanc aquam mutare locum tantùm inadæquatè;locus enim non dicit ſolam ſuperficiem, ſed prætcrea reſpectum ad polos mundi, aut alias partes immobiles, vnde dicitur ſuperficies immobilis, non quod ipſa de facto ſit immobilis, ſed dumtaxat cum conſideratur cum tali relatione ad tales partes immobiles.

Dico ſecundò, loci diuiſiones præcipuæ ſunt.

Primò, in locum extrinſecum & intrinſecum.

Primum definiuimus concluſione præcedenti, & de hoc ſolo mentionem fecit Ariſtoteles. Secundus eſt modus, vt aliqui volunt totaliter diſtinctus ab omni ſubſtantia qui determinat mobile, vt ſit hîc potius quam alibi. Verùm cum eſſe hîc nihil aliud ſit quam eſſe in iſto loco, ſequeretur locum determinare mobile ad locum, & quidem intrinſecum: nam ſi Angelus eſſet extra mundum, haberet locum intrinſecum, non verò extrinſecum. Dicendum eſt igitur locum intrinſecum eſſe ſpatium quod quælibet res replet, & & ſic omnibus conueniet, quod adeo clarum eſt, vt non egeat explicatione; norunt enim omnes quid ſit ſpatium, & de hoc intelligi debet quod diximus, cum de quantitate ageremus in metaphyſica, nihil eſſe extenſum in ordine ad ſe, quin ſit extenſum in ordine ad locum, non verò de loco extrinſeco: nam ſi aliquid poneretur extra mundum, nullum ſine dubio haberet locum extrinſecum.

Secundò, locus alius eſt communis, alius proprius. Primus eſt qui continet plura, vt templum: & ſic aliquis dicitur eſſe in templo, in foro, Pariſiis, &c. Proprius qui cuilibet ſoli conuenit & illi adæquatur.

Tertiò, locus alius dicitur circumſcriptiuus, alius definitiuus, alius ſacramentalis. Primus ad corpora, ſecundus ad Spiritus, tertius ad Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia pertinet. Verùm, quia circumſcribi & finiri ſonant idem, ideò clariùs à Mouſnerio proponuntur modi eſſendi in loco, vt ſequitur.

Quartò, aliquid dicitur eſſe in loco penetrabiliter indiuiſibiliter quod conuenit Deo, Angelo, & animæ rationali: Secundò, penetrabiliter diuiſibiliter

liter quod cõuenit corporibus ſeſe per miraculum penetrantibus: Tertiò, impenetrabiliter diuiſibiliter quod conuenit corporibus naturaliter: Quartò, impenetrabiliter indiuiſibiliter quod competit puncto phyſico, & etiam Angelo ad libitum. Corpus verò Chriſti Domini eſt in Sacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento primo modo, & ideò dicitur ibi eſſe ad modum ſpirituum.

Quintò, aliquid dicitur eſſe in loco penes ſex differentias loci per reſpectum ad alias res locatas, & ſic dicitur eſſe ſuprà, infrà; dextrorſum, ſiniſtrorſum, ante, retro.

Inferes inde, omnia eſſe in loco non quidem extrinſeco; neque enim omnia ambiuntur aliqua ſuperficie corporis; ſic enim neque Deus, neque totus mundus, neque propriè ea quæ ſunt alicubi penetrabiliter continentur aliqua ſuperficie, ſed in loco intrinſeco, quatenus nihil eſt, nec eſſe poteſt quod non repleat aliquem locum intrinſecum, ſiue ſpatium. Dixi, repleat, non occupet, illa enim ſunt diuerſa, vt notat Titelmanus lib.4. cap.15. occupare enim ſpatium eſt ſic illud replere, vt excludantur alia eiuſdem rationis; atque adeo pleniorem replentiam impediunt, quod pertinet ad corpora; alia verò repleat, ſic vt alia in eodem ſpatio admittant, quod pertinet ad Spiritus, & maximè ad Deum qui omnia replet intimè. Vnde à ſancto Auguſtino dicitur eſſe vbique ſine loco.

Inferes ſecundò, nullam creaturam poſſe abſolui ab omni vbi, hoc eſt, de nulla creatura poteſt dici quod exiſtat & nullibi exiſtat; repleat enim aliquod ſpatium neceſſe eſt; atque adeo erit in loco intrinſeco, & reuera non erit extra immenſitatem Dei; ergo erit illi præſens, & quidem

intimè;

intimè ; ſed eſſe præſentem dicit eſſe in loco & eſſe præſentem intimè , ſiue penetrari eſt eſſe in eodem ; Hoc totum intellige de loco intrinſeco, non verò de extrinſeco ; certum enim eſt multa exiſtere , & nullibi exiſtere loquendo de loco extrinſeco,Deus,ſcilicet, & cœlum empyreum.

Dices cum Vaſqueſio : productio rei eſt prior productione vbicationis ; ergo producta re poterit , Deus abſtinere à productione vbicationis. Contra : obiectio ſupponit vbicationem eſſe entitatem aliquam diſtinctam ab omni prorſus ſubſtantia, quod infra negabimus. Deinde diſtinguo antecedens. Eſt prior productione vbicationis, ſi per talem productionem intelligas ſimplicem poſitionem in loco , eſt , inquam , prior realiter, Nego. Formaliter ſeu ſecundùm noſtrum modum concipiendi , Concedo. Prætereà , quamvis vbicatio eſſet talis entitas , non ſequeretur tamen intentum ab aduerſario : nam vbicatio propriè non eſt locus , ſed eſt illud per quod res conſtituitur in loco , quod quid ſit infrà videbimus. Demum res , ſiue habeat illam entitatulam , ſiue non , ſemper replebit aliquod ſpatium , erítque extenſa in aliquo ſpatio , quod eſt eſſe alicubi. Confirmatur ex eo quod aliquid non poſſit eſſe & nunquam eſſe , ita non poteſt eſſe , & nullibi eſſe.

QVÆSTIO II.

Per quid locatum conſtituatur in loco.

VBicatio eſt id per quod locatum conſtituitur in loco. Verùm quid ſit vbicatio non conuenit inter authores. Varias eorum opiniones

in ſequentibus concluſionibus examinabimus.

Dico primò, res non eſt in loco formaliter per actionem per quam eſt.

Probatur primò, explicatione termini vbicationis qui poteſt ſumi, vel actiuè, vel paſſiuè, ſiue formaliter. Igitur illa actio facit quidem, vt res ſit in loco efficienter & actiuè; ſicut enim illa actio eſt poſitio in aliquo tépore, ita etiam eſt poſitio in aliquo loco; at verò paſſiuè, & formaliter non eſt talis actio, ſed terminus illius actionis.

Probatur ſecundò, quando quæritur per quid eſt homo, non reſpondetur per actionem Dei, quia tunc quæritur quidditas, ſiue eſſentia hominis, non verò cauſa efficiens, aut modus cauſandi, creatio ſcilicet, vel generatio, ſimiliter quando quæritur per quid eſt ſtatua? Non reſpondetur per actionem artificis, quia ſcilicet quæritur in quo conſiſtat ſtatua, ſed ad primam quæſtionem reſpondetur, homo formaliter & quidditatiuè eſt per animal rationale, metaphyſicè, & per corpus & animam ſimul vnita, phyſicè: at verò per actionem Dei efficienter, ſiue eſt à Deo tanquam à cauſa efficiente; ad ſecundam verò ſic reſpondetur, ſtatua formaliter & quidditatiuè eſt per ſubiectum & formam artificialem metaphyſicè loquendo, & per partes materiæ taliter diſpoſitas, phyſicè loquendo, at efficienter eſt per actionem artificis. Demum Deus non eſt in loco per actionem qua fiat; neque enim ipſe fit. Similiter quando quæritur per quid res eſt in loco, ſiue per quid eſt locatum? Non reſponderi debet per actionem. Per quid igitur reſponderi debeat dicemus in vltima concluſione.

Dico ſecundò, res non eſt in loco per modum qui ſit entitas diſtincta ab omni prorſus ſubſtãtia.

Probatur primò argumento generali contra omnes tales entitulas; probauimus enim nullas dari, cum de modis egimus in metaphyſica, &, quamvis probationes ibi allatæ ſufficerent ad corroborandam iſtam concluſionem; placet tamen in particulari aliqua adducere.

Probatur ſecundò, res non eſt hîc per negàtionem ſuæ entitatis; ergo per poſitionem ſuæ entitatis hîc, res in hoc loco reperitur; per id enim eſt hîc formaliter per quod tollitur negatio ſui hîc; per entitatem verò hæc negatio ſolùm tollitur; ergo per ſolam entitatem rei locatio conſtituitur.

Confirmatur conſimili argumento. Iſta entitas eſſet ſuperflua: nam ſine illa poſſunt omnia quæ ad locum pertinent explicari; illa enim entitas daretur tantùm ad tollendam indifferentiam mobilis, quod cum ſit indifferens, vt ſit hîc, vel iſthic, vel illic, debet determinari per aliquid, vt ſit hîc potiùs quam alibi; atque ad tollendam talem indifferentiam non eſt neceſſaria, quia indifferentia ſufficienter tollitur per poſitionem illius ad quod datur indifferentia; ergo poſito tali loco extrinſeco cum tali mobili in tali parte ſpatij ponitur locatum.

Dices: non poſſunt omnia illa poni, niſi producatur vbicatio. Contra: ſuperflua eſſet vbicatio quæ eſſet entitas diſtincta, quandoquidem per poſitionem illorum trium omnis indifferentia ſufficienter tollitur.

Inſtabis: τὸ ſimul importat aliquid ſupra exiſtentiam illorum trium; ergo vbicatio importat entitatem diſtinctam. Reſpondeo, diſtinguo antecedens: ſupra exiſtentiam abſolutè conſideratam, Concedo: ſupra exiſtentiam, relatiuè & connotatiuè

tatiue conſideratam, Nego. Vbicatio enim in abſtracto importat tantùm aliquod ens metaphyſicum, relationem, ſcilicet; at in concreto & phyſicè nihil aliud importat quam mobile, prout in tali ſpatio, & illud prout ſignificat relationem quæ, vt diximus, non importat entitatulam diſtinctam ab omni prorſus ſubſtantia.

Probatur tertiò, illa entitatula talis eſt vt illius nulla poſſit aſſignari cauſa: nam cauſa illius non poteſt eſſe mobile, quia de ſe eſt indifferens, nec locus extrinſecus propter eandem rationem: an fortè dices illa duo determinari per ſpatium imaginarium? at ſpatium imaginarium nihil eſt, quomodo poteſt determinare aliquid reale poſitiuum? Deindè ſi ſufficeret ad determinandum, ſufficeret etiam ad locandum, quidni enim?

Probatur quartò, omnis forma eſt in ſuo ſubiecto; atqui vbicatio, ſiue locus intrinſecus eſt forma quædam diſtincta ab omni ſubſtantia; ergo eſt in ſubiecto, ſiue locato, quod contradictorium eſt: nam ſi poneretur homo extra totum mundum, is non eſſet in loco, ſed locus eſſet in ipſo, & quidem penetratiuè, & ſic locatum contineret locum, non locus locatum. Dicendum eſt igitur nullum dari locum intrinſecum præter ſpatium, quod infra melius explicabimus.

Obiicies primò, omnis motus localis eſt actio; ſed omnis actionis debet aſſignari aliquis terminus; ergo & motus localis, ſed nullus terminus eſt aſſignabilis, ſi vbicatio non ſit entitas diſtincta. Reſpondeo motum localem eſſe quidem actionem, ſed non effectionem, ita vt per illum non producatur aliquid de nouo, ſed acquiratur nouus modus, ſiue nouus ſtatus. Quare vbicatio non eſt terminus productus, ſed ſimpliciter acquiſitus.

ſitus. Deinde ſi vbicatio ſit terminus productus, quotieſcunque mutabitur locus, fiet noui entis productio & prioris vbicationis destructio. Vide igitur quam mira ſit fœcunditas digiti tui, & quam mira potentia, quandoquidem ſingulis momentis tot nouas producit entitates : ſed iniurius pater ? quandoquidem vix eas produxit cum eas deſtruit.

Obiicies ſecundò, omnis nouæ denominationis nouum debet dari fundamentum ; ergo cùm mobile dicitur locatum hîc, cum antea non eſſet hîc locatum, debet aſſignari aliquod fundamentum illius denominationis. Reſpondeo, Concedo antecedens, imò & totum argumentum : fundamentum autem quod aſſigno illius denominationis eſt coniunctio mobilis locíque extrinſeci in tali parte ſpatij ; vel ſi non adſit locus extrinſecus, eſt exiſtentia mobilis prout in tali parte ſpatij.

Inſtabis : vel illa coniunctio eſt entitas diſtincta, vel non : Si primum, habeo quod intendo : Si ſecundum, quotieſcunque erit Petrus, locus eius extrinſecus, & pars ſpatij erit illa coniunctio, atque adeo locatum, quod apertè falſum eſt : nam cum Petrus Narbonâ migrat Toloſam, relinquitur ibi locus extrinſecus, aut ſaltem poteſt ibi conſeruari eadem ſuperficies aëris, & pars ſpatij & exiſtit Petrus ; ergo illa tria erunt, & tamen Petrus non erit locatus. Reſpondeo, quotieſcunque erunt illa tria, erit coniunctio entitatiuè, Concedo : formaliter vt eſt reſpectus cõtinentis & contenti, Nego : vel erit coniunctio in potentia, Concedo : in actu, Nego. Quare illa coniunctio in potentia denominat in actu primo, non verò in actu ſecundo ; ad hoc enim debet eſſe coniunctio

iunctio ſecundùm formalitatem, ſeu ſecundùm reſpectum qui non diſtinguitur ab extremis.

Inſtabis ſecundò, formalitas illius coniunctionis eſt ipſamet entitas cuius eſt formalitas, ſeu duplex entitas corporis continentis & contenti; ergo nulla ſolutio. Reſpondeo eſt entitas continentis & entitas contenti ſpecificatiuè, vt ſunt entitates, Nego: reduplicatiuè vt ſunt ſub mutuo reſpectu & ſumptæ vt ex parte ſui ſunt obiectum reduplicationis noſtræ, Concedo: ſicut autem non poteſt ſub eodem inſtanti exiſtere fundamentum, & terminus quin referantur; ita etiam non poſſunt in eadem parte ſpatij exiſtere locus hic realis, ſiue extrinſecus & Petrus, quin hoc ipſo Petrus in hoc loco ſit: datúrque inter eos relatio continentis & contenti.

Dico tertiò, formaliter res conſtituitur in loco extrinſeco per coniunctionem cum illo correſpondente ad talem partem ſpatij.

Probatur; quia tota eſſentia vbicationis in tali coniunctione conſiſtit & illâ poſitâ ponitur vbicatio, & illâ ſublatâ tollitur; ſi enim vel vnum ex illis deſit, non erit adæquatè idem locatum.

Dico quartò, res conſtituitur formaliter in loco intrinſeco per reſpondentiam illius tali parti ſpatij.

Probatur eadem ratione qua ſuperior concluſio, & reuera eſſe locatum eſt tantùm denominatio extrinſeca, ſicut eſſe viſum, ſicut etiam & eſſe contentum. Confirmatur ex eo quod differentiæ loci ſint denominationes extrinſecæ, vt eſſe ſupra, eſſe infra, eſſe deorſum, eſſe remotum, &c. Quid ſit autem ſpatium ſatis patet; neque enim inueniri poteſt vox clarius exprimens, ab aliquibus tamen definitur capacitas

recipiendi

recipiendi corpora, ſed hæc definitio, vt patet, valdè metaphyſica eſt, & eſt magis obſcura quam ipſum definitum; poteſt enim inquiri quid ſit talis capacitas. Deinde omnis capacitas eſt potentia, atque adeo qualitas, ſed omnis qualitas eſt in aliquo ſubiecto; ergo & talis capacitas; at in quo ſubiecto erit? Certè nullum aſſignari poteſt. Guillelmus Lamy part.2.cap.2.dicit ſpatium eſſe extenſionem permeabilem, & qualibet obſiſtentia carentem, quæ definitio optima eſt, modò extenſio mathematicè ſumatur: ſi enim ſumatur phyſicè, quæri etiam poteſt in quo ſubiecto ſit talis extenſio. Perperam igitur cap.28. dicit ſpatium non minus reale eſſe quam corpus, non tamen ſubſtantiam eſſe aut accidens, quod hæc diuiſio de ente poſitiuo ſit: non tamen, inquit, eſt ens negatiuum, ſicut priuationes à cathedrariis Philoſophis appellantur, cum ipſæ omnino nihil ſint; analogicè tamen ad ſubſtantiam reuocari debet. Verùm ſic non explicatur quid ſit ſpatium, ſi enim reuocatur ad ſubſtantiam, quæri poteſt num reuocetur ad ſubſtantiam corpoream, vel ſpiritualem, cui quæſtioni difficile reſponderetur. Porrò abſtinui à voce iſta, ſpatiũ imaginarium, & quidem iure vt patebit quæſtione ſequenti.

QVÆSTIO III.

Quid ſint ſpatia imaginaria.

DIco: ſpatia imaginaria nihil aliud ſunt quam imaginatio ſpatiorum.

Explicatur: quæritur num vltra mundum qui, vt ſuppono, non eſt infinitus, vel ſaltem non eſt neceſſariò infinitus, ſit ſpatium aliquod reale, ſed ſi eſt reale, iam amplius non eſt ſimpliciter

imaginarium, ſed erit aliquid increatum; ſi enim eſt creatum, ad mundum pertinet vt pars: nam per mundum intelligimus vniuerſitatem creaturarum. Quapropter, ſicut antequam Deus crearet mundum, nihil erat reale in ſpatio vbi eſt mundus præter ipſam immenſitatem Dei; ita etiam extra fines mundi nihil eſt, ſed aliqui imaginantur ibi eſſe aliquid reale, ſed pura imaginatio eſt.

Probatur: ſicut paries viſus, phyſicè nihil aliud eſt quam viſio parietis: nam à parte rei harum duarum propoſitionum; ego video parietem, & paries videtur à me, vna nihil importat ſupra aliam; ergo etiam ſpatia imaginaria, & imaginatio ſpatiorum erunt vnum & idem,

Dices ſpatia imaginaria definiri ab aliquibus, vbicatio poſſibilis; vel capacitas recipiendi corpora. Reſpondeo vbicationem poſſibilem de facto nihil eſſe; quod enim eſt poſſibile & non exiſtit, nihil eſt actu; ergo illa ſpatia nihil ſunt actu. Ad ſecundum reſpondi ſupra. Dicendum eſt igitur extra mundi terminos nihil eſſe, ſed poteſt Deus ibi alios mundos collocare, ſicut & iſtum collocauit, vnde à ſancto Ambroſio epiſt. 31. ſpatium cui mundus inſidet eſſe locum vniuerſalem docetur. Itaque ſpatia vltramundana nihil aliud ſunt quam extenſio mathematica infinita.

Quæres num Deus ſit in ſpatiis imaginariis? Reſpondeo hanc quæſtionem pertinere ad Theologiam; neque enim ſolui omnino poteſt, niſi prius cognoſcatur quid ſit immenſitas Dei. Interim tamen dico Deum replere omne ſpatium vltramundanum, atque adeo Deum exiſtere in illis ſpatiis, vbi nihil aliud eſt præter ipſam eſſentiam Dei immenſam, eodem modo quo eſ-

ſentia

ſentia Dei erat in ſpatio vbi eſt mundus, antequam mundus crearetur. Non dico Deum coexiſtere illis ſpatiis; nam coexiſtentia importat duplicem exiſtentiam realem; at illa ſpatia nullam realem habent exiſtentiam. Non dico etiam Deũ exiſtere in ſpatiis imaginariis, cum ſpatia imaginaria ſint tantùm in capite imaginantium, quod quidem Deus replet, ſed illa ſpatia vltramundana imaginaria dici nequeunt, niſi quatenus obiectum ſunt imaginationis, ſed eodem iure dici poſſunt ſpatia intelligibilia, quia intelligi poſſunt, ſuntque obiectum intellectionis.

QVÆSTIO IV.

An diuerſa corpora poſſint eſſe ſimul in eodem loco.

PLures ſpiritus eſſe ſimul in eodem loco etiam naturaliter nullum dubium eſt, imo & ſpiritum penetrare poſſe corpora concedunt omnes; cum omnia creata eſſentiæ diuinæ quaſi innatent, ſupereſt tantùm dubium de corporibus, an in eodem loco plura eſſe poſſint: cui vt ſatisfaciam.

Dico primò, non poſſunt naturaliter plura corpora eſſe in eodem loco ſimul & ſemel. Probatur primò, corpus omne habet ſuam quantitatem actualem, ſed quæ habent quantitatem actualem ita ſe habent, vt plura in eodem loco eſſe nequeant; ergo naturaliter plura corpora in eodem loco eſſe non poſſunt. Probatur minor: quæ habent quantitatem actualem habent impetrationem, penetrari autem duo corpora naturaliter nequeunt, vt patet quotidiana experientia; videmus enim corpora ſeſe mutuò pellere ex eodem

loco

loco, nec in eodem ſeſe compati; ſic cum infunditur aqua in aliquod vas, expellitur aër.

Objicies: vas plenum aqua recipit multos nummos ſine effuſione aquæ: idē dic de ſale. Similiter vas plenum cineribus multam recipit aquam; ergo naturaliter duo corpora poſſunt eſſe in eodem loco. Reſpondeo ad primum & ad ſecundum aquam non effundi quandiu labra vaſis ſicca erunt; tunc enim aqua eleuatur ſurſum in ſuperficiem conuexam; ad tertium verò dico cineres per receptionem aquæ conſtipari, & aër immixtus inter illos euaporatur ſimul cum delicatioribus cineribus partibuſque aquæ; cum enim aliquid ignis in ipſis remaneat, ignis vapores illos eleuat.

Dico ſecundò, plura corpora poſſunt virtute diuinā ſeſe penetrare, atque adeo eſſe in eodem loco. Probatur: repugnantia eſſe non poteſt neque ex parte loci; nam de ſe pluribus repleri poteſt, non ſolùm ſucceſſiuè, ſed etiam ſimul & ſemel; poteſt enim repleri pluribus ſpiritibus: neque ex parte corporum; neque enim hoc eſt contra eorum eſſentiam, quia impenetratio actualis eſt tantùm proprietas ſecundaria.

Probatur ſecundò ex Euchariſtiæ ſanctiſſimo Sacramento; nam totum corpus chriſti Domini non poſſet eſſe in tam paruula hoſtia, niſi partes ſeſe mutuò penetrarent. Quod ſi ſemel admittatur partes eiuſdem corporis ſeſe penetrare poſſe, neceſſe eſt etiam vt concedatur idem de pluribus corporibus.

QVÆ

QVÆSTIO V.

An idem numero corpus poſſit eſſe in diuerſis locis.

IDem poſſe replere plura loca inter ſe continua, vel vnum æquiualentem pluribus non eſt dubium; Angelus enim naturaliter habet ſphæram præſentiæ æquiualentem pluribus locis hominum, v. g. certum etiam eſt idem non poſſe eſſe in pluribus locis diſſitis naturaliter. Quæſtio igitur eſt an potentia abſoluta Dei poſſit conſtituere idem corpus in pluribus locis diſſitis. Negant hæretici propoſitionem hanc ſimpliciter, quia nolunt concedere Chriſti Domini Corpus eſſe in Euchariſtia; Thomiſtæ verò diſtingunt dicendo idem non poſſe eſſe in pluribus locis diſſitis circumſcriptiuè, fieri tamen poſſe vt idem ſit in vno loco circumſcriptiuè & in aliis ſacramentaliter, vt conſtat fide. Hoc poſito.

Dico primò, idem numero corpus poteſt eſſe in diuerſis locis etiam circumſcriptiuè per diuinam potentiam. Probatur: hoc non repugnat ex parte corporis; nam idem eſt in cœlo & in Euchariſtia, nec ex parte loci circumſcriptiui cuius ratio ſolùm eſt vt corpus ita ſit in loco, vt ſingulis partibus corporis reſpondeant ſingulæ partes loci, nec excludit exiſtentiam in alio loco, quod probatur ex eo quod corpus Chriſti Domini ſit circumſcriptiuè in cœlo, & tamen reuera idem corpus ſit extra.

Dices cum Complut. repugnantiam oriri ob ſpecialem eſſendi modum in pluribus locis quan-

titatiuo modo & per proprias dimenſiones, quia vna & eadem quantitas non poteſt eſſe ratio eſſendi in illis, nec poſſunt multiplicari effectus ſecundarij ſine multiplicatione formæ, atque adeo nec propriæ dimenſiones ſine multiplicatione quantitatis quæ, ſi multiplicatur, iam corpus non eſt vnum & idem.

Contra: totùm illud remanet refutatum ex eo quod ſtatuerimus res non habere ſuam vnitatem numericam ſeu indiuidualem à quantitate quæ ſit accidens realiter diſtinctum: & quamvis talis vnitas ſumeretur à quantitate, adhuc tamen non ſoluitur argumentum; nam poteſt eadem quantitas eſſe in pluribus locis, atque adeo eadem dimenſio; quod ſi velit aliquis dimenſionem importare reſpectum ad locum, ita vt mutato loco mutetur dimenſio, & multiplicato multiplicetur dimenſio; nec per hoc ſoluitur argumentum, quia tunc quantitatem diſtingui ab actuali dimenſione dici poteſt, diſtingui inquam per locum, atque adeo per hoc quod importatur in obliquo, non verò per hoc quod importatur in recto. Vnde, poſito eodem corpore in pluribus locis, non multiplicaretur dimenſio in ſeipſa, ſed tantùm multiplicaretur locus.

Probatur ſecundò, act. 3. ait D. Petrus *quem* (Chriſtum) *oportet cœlum ſuſcipere vſque ad tempus reſurrectionis hominum.* Quod etiam docet Sanctus Auguſt. relatus in decret. de Conſec. diſt. 2. Cap. prima quidem hæreſis. *Donec finiatur ſæculum. Surſum eſt Dominus*, Et tamen ipſe viſus eſt à D. Paulo, vt patet 1. Cor. 15. 8. imò etiam & à Diuo Petro, vt hiſtoria Eccleſiaſtica narrat.

Reſpondent Complut. Chriſtum Dominum per

has morulas reliquiſſe cœlum. Verum hoc non poteſt dici bene congruenter ad ſcripturam ſacram quam retuli. Tutius eſt igitur ſi dicamus ſimul fuiſſe in duobus locis.

Probatur tertiò, non magis eſt ſupra rationem naturalem duo corpora poſſe penetrari, & idem corpus habere duas qualitates contrarias etiam in ſummo, v.g. calorem maximum & frigus maximum; atqui hæc omnia poſſunt fieri in ſententia Thomiſtarum; ergo & primum.

Objicies primò, ſi idem corpus poſſet eſſe in duobus locis, eſſet diuiſum à ſeipſo, quod fieri nequit. Reſpondeo Nego ſequel. quia omnis diuiſio eſt vnius ab alio; ſed in hoc caſu non eſſet vnum & aliud, ſed idem.

Inſtabis quod eſt Romæ diuiſum eſt ab eo quod eſt Lugduni. Reſpondeo, ab eo quod eſt Lugduni ſi ſit aliud, concedo: ſi ſit idem, Nego; alioquin Deus qui eſt Lugduni diuiſus eſſet à ſeipſo Romæ.

Objicies ſecundò, eſſe circumſcriptiuè in loco dicit non eſſe alibi; ergo. Reſpondeo eſſe circumſcriptiue in loco dicere tantùm illud circumſcribi, vel ambiri, vel terminari hîc, ita vt quælibet pars corporis ſuam loci partem repleat.

Objicies tertiò, ſi corpus eſſet in duobus locis, diſtaret à ſeipſo, quod eſt impoſſibile. Reſpondeo, Nego ſequelam, quia diſtantia eſt vnius ab alio, ſed in hoc caſu non eſt vnum & aliud.

Inſtabis: qui eſt Romæ diſtat ab eo qui eſt Narbonæ. Reſpondeo ſi eſt vnus & alter, concedo: ſi idem Nego.

Vrgebis: Roma & Narbona diſtant; ergo & qui eſt Narbonæ diſtat ab eo qui eſt Romæ. Reſpondeo ad illam inſtantiam & ſimiles, concedo antecedens

antecedens & Nego conſequentiam: Si idem vtrobique eſt : concedo, ſi aliud ; niſi dicatur ratione connotati diſtare à ſeipſo ; ſicut Petrus locatus Romæ & idem locatus Narbonæ differt à ſeipſo ratione connotati ſeu ratione loci , quatenus vnus locus diſtat ab alio , propriè tamen non debet dici diſtare à ſeipſo.

Objicies quartò , ſi idem corpus poſſet eſſe in diuerſis locis , poſſet eſſe in omni ; ergo eſſe immenſum, quod repugnat ; immenſitas enim eſt propria ſoli Deo. Reſpondeo , eſto , totum illud ſequatur , non tamen repugnat ; nam immenſitas quidem independens eſt ſolius Dei , non verò immenſitas dependens : corpus autem illud eſſet immenſum dependenter à Deo.

Objicies quintò , idem corpus poſſet moueri & non moueri , eſſe gratum Deo & non eſſe gratum Deo , eſſe viuum & mortuum , & ſimilia quæ repugnant. Reſpondeo plus poteſt Deus facere quam intellectus humanus capere , inquit D. Bon. atque adeo ſi habeamus rationes quibus probetur poſſe fieri à Deo vt idem corpus ſit in duobus locis , de modo prouidebit Deus. Attamen ad obiectionem reſpondeo corpus quod eſſet in diuerſis locis non habere quidem eaſdem denominationes extrinſecas ſicut ſedere , iacere , ambulare , &c. quia hæc accidentia affixa ſunt locis : at haberet eaſdem denominationes intrinſecas , vt calefieri , frigéfieri , &c. quia cum hæc accidentia afficiant intrinſecè ſubiectum vbicunque eſt , ſubiectum illa habeat neceſſe eſt. Vnde ſi corpus Romæ poneretur in medio glaciei, & Narbonæ in medio ignis , actio ignis temperaret actionem glaciei, & ſi in vno loco cibum ſumeret, in alio nutriretur , & ſi quis in vno loco peccaret

mortaliter, atque adeo ibi fieret ingratus Deo, in alio etiam loco eſſet ingratus Deo, & ſi in vno loco moreretur, in alio quoque moreretur, & ſi in vno loco ægrotaret, in alio ægrotaret. Si verò aliquis his reſponſionibus nolit eſſe contentus, ſoluat mihi quomodo poſſit fieri vt de Chriſto Domino ſimul & ſemel verificetur videre & non videre, moueri & non moueri, eſſe ſplendidum & non eſſe ſplendidum, loqui & non loqui &c. nam prout eſt in cœlo videt, mouetur, ſplendet, loquitur, &c. at prout in Euchariſtia non videt, non mouet ſeſe, ſaltem ſemper; non ſplendet, non audit, & ſolutionem quam mihi dederit obiectioni ſine dubio applicabo.

ARTICVLVS II.

De Vacuo.

VAcuum propriè nihil eſt aliud quam locus omni corpore incluſo deſtitutus: vel melius, eſt ſuperficies corporis concaua nullum aliud corpus ambientis, qualis eſſet ſuperficies concaua cubiculi, ſi annihilato omni aëre, nihil ſuccederet; vnde vides vacuum non ſumi pro inani ſimpliciter, quale eſt extra mundi terminos: nec etiam ſumi pro eo quod caret iis quibus repleri ſolet, vt dolium dicitur vacuum, quando non eſt vino plenum, licet repletum ſit aëre, & anima dicitur vacua ſcientia & virtute. De vacuo igitur proprie ſumpto quæſtio eſt num ſit vel eſſe poſſit, & ſuppoſito quod eſſe poſſit, quomodo ſe haberet motus in illo; quibus vt ſatisfaciam, quæſtiones ſequentes inſtituo.

QVÆ

QVÆSTIO I.

An detur vel poſſit dari vacuum.

AVthores aliqui inter quos eſt Thomas Anglus & Digbæus & Carteſius docent nullo modo poſſe dari vacuum etiam ſupernaturaliter, ſiue virtute diuina, & licèt Carteſius tom.2. epiſt.6. afferat ſe non diſputare de omnipotentia diuina,attamen,dum dicit vacuum implicare contradictionem, ſufficienter explicat ſuam mentem eſſe,vacuum eſſe omnino impoſſibile. Alij,vt Gaſſendus & Magnanus, dicunt non dari quidem magnum vacuum, ſed dari vacua diſſeminata, ſed paruula, ſicut pori in corpore, magnum verò poſſe dari, licet difficulter. Demum alij cenſent nulla vi naturali induci poſſe vacuum, ſiue magnum,ſiue paruum,bene tamen ſupernaturali.

Dico primò,dari poteſt vacuum virtute diuina. Probatur primò, qui ordinauit vniuerſum poteſt mutare ordinem vniuerſi; at Deus ordinauit;ergo poteſt mutare ordinem vniuerſi; ſicut enim potuit facere mundum,ita vt eſſet orbis,non globus, ita & nunc poſſet ſic ordinare mundum; ſi enim Deus deſtrueret omnia corpora, quæ ſunt intra cœlum empyreum, ſolum cœlum empyreum conſeruando, tunc ſuperficies illius concaua nullum corpus contineret, ſicque daretur vacuum. Illud autem poſſe à Deo fieri probatur, quia Deus poteſt annihilare quodlibet alio realiter diſtincto conſeruato, verbi gratiâ, poteſt Deus annihilare Paulum conſeruato Petro; eſt enim liberrimus in ſuis operationibus; ergo pòteſt Deus deſtruere omnia corpora ſolo empyreo conſeruato, & à

fortiori aërem iſtius cubiculi conſeruatis parietibus,& impediendo ne aliud corpus ſuccedat.

Obiicies,cum Carteſio epiſt.tom.2.ep.4. quod vocatur vacuitas cubiculi eſt reuera corpus ; habet enim longitudinem, latitudinem, & profunditatem.Reſpondeo ibi eſſe reuera corpus mathematicum, non verò phyſicum. Mathematici autem etiam in ſpatiis vltramundanis ſua triangula & quadrangula & circulos deſignare poſſunt.

Inſtabis primò, cum Thom. Anglo non poſſe intelligi cubiculi cubici deperire reale interuallum, aërem, abſque eo quod conuenerint eo ipſo parietes : nam in ſitu tollere diſtantiam, idem eſt quod in qualitate tollere diſſimilitudinem, in quantitate tollere inæqualitatem, ſed tollere diſſimilitudinem eſt ponere ſimilitudinem ; ergo tollere interuallum & diſtantiam eſt ponere coniunctionem. Reſpondeo æquiuocationem eſſe in vocabulo, interuallum : nam diſtantia poteſt eſſe realis abſque eo quod medium ſit reale ; ad hoc enim ſufficit, ſi termini ſint reales. Vnde ſublato & annihilato aëre cubiculi,non ideò tolleretur interuallum, ſeu diſtantia parietum,atque adeo nec fieret coniunctio : & reuera, ſi aër eſſet interuallum, ſequeretur quotieſcunque pro aëre ſubſtitueretur aqua,vel terra,vel lapides, vel quid aliud, toties mutari interuallum, & diſtantiam, quod eſt abſurdum ; remanet enim diſtantia eadem, & ni velis credere, ſume vlnam & metire:diſtantia igitur eſt ſpatium quod eſt inter duo corpora, metirique poteſt abſque eo quod in medio ſit aliquid reale : & quid impedit quominus Deus creet duos homines in ſpatiis vltramundanis longè ſupra mundum,ita tamen vt vnus reſpondeat polo arctico, alius verò polo antarcti-

eo, an credis quod propterea poſſint ſeſe mutuò amplecti? Certè longiores deberent habere manus. Demum Antichriſtus, neque diſſimilis, neque ſimilis eſt Petro exiſtenti, quia non exiſtit.

Inſtabis ſecundò, cum eodem ſi hypotheſis ſupradicta admittatur, ſequeretur quantitatem eſſe in corpore abſque eo quod partes hærerent inuicem & eſſent immediatæ, & ſic tolleretur vnitas & continuitas mundi. Reſpondeo, Nego conſequentiam; quantitas enim continua continuitatem requirit, vt patet ex ipſis terminis; at quis diceret ſpongiam non eſſe vnum continuum, ſimiliter & corpus humanum non eſſe vnum continuum ex eo quod habeant poros? Porrò inter illos duos homines conſtitutos in ſpatiis vltramundanis non eſſet quantitas phyſica, ſed mathematica.

Inſtabis tertiò cum eodem; ſi detur vacuum, ſpatium illud quod interiicitur lateribus loci haberet aliquas partes; ſed nihil abſurdius eſt quam ponere non ens (quale dicitur hoc ſpatium eſſe) habere partes, cum habere partes ſit eſſe quantum, quod eſt entis affectio. Reſpondeo ſpatium illud habere partes eo modo quo dici poteſt corpus; atqui mathematicè tantùm, non phyſicè dici poteſt corpus; ergo habet tantùm partes mathematicas, non phyſicas, ſcilicet poteſt aſſignari medietas illius ſpatij, vel alia portio, ſed non ideò ibi eſt aliquid reale actu.

Inſtabis quartò, ponatur in illo vacuo corpus aliquod paruum, & modò accedat ad vnum parietem, modò ad alium abſque eo quod tangat aliquod latus, neceſſe eſt concedatur factam fuiſſe aliquam mutationem, at qualis ſit, intelligi nequit; neque enim intrinſeca eſt, cum tantùm po-

natur mutatum ratione alicuius extrinſeci, nempe loci; neque extrinſeca erit, cum extrinſeca mutatio abſque intrinſeca, vel in eodem, vel in alio corpore, qualis hic nulla interuenit, non poſſit reperiri. Reſpondeo eſſe mutatum extrinſecè, negatur autem quod additur mutationem extrinſecam debere eſſe alicui intrinſecam; gratis enim dicitur: quia mutatio loci eſt denominatio purè extrinſeca, ſicut lapis qui eſt primus poteſt eſſe vltimus per tranſpoſitionem, quæ nihil ponit in re nouum, & maximè dicendum, hoc eſt ſi talis tranſpoſitio fieret in ſpatiis vltramundanis.

Dico ſecundò, vis naturæ impedientis vacuum notabile, non eſt tanta quanta vinci nequeat ab agentibus naturalibus. Probatur: poteſt quilibet Angelus transferre partes terræ in ſpatia vltramundana. Idem dico de aqua, & de aëre; ergo virtute Angelica naturali poteſt dari vacuum.

Dices poſſe quidem Angelos hoc facere ſecundùm ſuas vires intrinſecas, ſed non poſito Dei decreto ſecundùm quod, vt ait D.Paul. Heb. c.2. *Non illis ſubiecit Deus orbem terræ.*

Contra: Manet tota vis argumenti: nam decretum illud eſt extrinſecum viribus naturæ, atque adeo manent vires naturales Angelorum ſufficientes ad inducendum vacuum, licèt de facto nunquam illud inducturi ſint. Ad illud Apoſtoli dico ſic eſſe; *Non enim Deus ſubiecit Angelis orbem terræ futurum*, per quod quid intelligatur variè explicant authores: aliqui intelligunt de Eccleſia: alij de gloria: alij de mundo poſt reſurrectionem; vnde ex illo aliquid concludi efficaciter non poteſt contra concluſionem ſuprapoſitam.

Probatur

Probatur ſecundò, naturæ vis non eſt infinita; ergo vinci poterit.

Dices naturæ quidem vim eſſe finitam, ſed virtutem Dei quæ naturæ vires dirigit, eſſe infinitam. Contra: Deus agit tantùm naturaliter, ſeu ſecundùm exigentiam cauſarum ſecundarum; atqui illa exigentia eſt finita; ergo & Deus ſuam virtutem applicat tantùm finitè. Deinde ſi induceretur vacuum, hoc non fieret, niſi per virtutem naturalem attrahendo aërem, verbi gratiâ, è vaſe quod in tali circunſtantia exigeretur à natura; ſicut in fontibus artificialibus aſcendit aqua exigente natura.

Obiicies: illud à quo maximè abhorret natura quodque metuit non poteſt dari naturaliter; atqui natura maximè abhorret & metuit vacuum, vt conſtat experientia: nam hac de cauſa aſcendunt grauia, & deſcendunt leuia; ergo non datur vacuum naturaliter.

Reſpondeo: cum dicitur naturam abhorrere à vacuo, hoc dicitur per metaphoram; abhorrere enim & metuere pertinet ad ea quæ prædita ſunt cognitione, aut ſaltem ſenſatione. Si dicas per naturam te intelligere authorem naturæ. Reſpondeo adhuc ibi eſſe metaphoram; neque enim Deus capax eſt metus. Certè ſi vti neceſſe ſit metaphoris, melius diceretur naturam amare plenitudinem, quam abhorrere à vacuô. Ad probationem minoris reſpondeo omnes illos motus prouenire à grauitate, quatenus omnia corpora grauitant, & petunt centrum mundi, & ad illud tendunt quantum poſſunt, cum hac tamen differentia, vt quæ ſunt magis grauia proximè accedant ad centrum, quia pellunt minus grauia, vt videmus lapides mergi in profundum; aquam verò

attolli ſurſum : ſpatia quæ inter corpora dura relinquuntur replentur a io tenuiori corpore quod ſe per illa foramina ingerit, vt ſi repleatur foſſa lapidibus, ſpatia quæ inter lapides relinquuntur replentur arenulis & ſpatia quæ inter arenulas relinquuntur replentur aëre, non quidem ob metum quendam phantaſticum vacui, ſed ob innatam grauitatem, quæ ab agentibus naturalibus vinci non implicat. Deinde talis metus nulla datur cauſa ; ergo admitti nequit.

Dices cauſam finalem eſſe commodum vniuerſi ; ſi enim daretur vacuum, non poſſent communicari influentiæ cœleſtes, quibus tamen indigent corpora inferiora. Contra : poteſt dari motus in vacuo, atque adeo cum influentiæ cœleſtes ſint corpuſcula quædam, per medium vacuum pertranſire poſſunt. Deinde eſto, quod tales influentiæ non communicarentur per lineam rectam, poſſent communicari per lineam refractam, ſicut patet de luce. Demum cum cœli non indigeant influentiis terræ, poterit in cœlis dari vacuum.

Dico tertiò, licet dari poſſit vacuum notabile viribus naturæ, difficillimum tamen eſt. Probatur, quia cum in omnibus diſſeminati ſint pori, in ipſo etiam vitro, quod compertum eſt argentum viuum tranſpiratione exudauiſſe, imò ſi in longiorem tubum recuruum producatur inflecti, recedente corpore, quo replentur vaſa quæ ad talem experientiam adhibentur, ſuccedent corpuſcula quæ ſunt intra poros, non metu vacui, ſed innato pondere, poróſque lux, aut aër ſubtiliſſimus peruadet ; illud tamen minus difficile fieret in vaſis quorum latera eſſent valdè compacta, & valdè ſpiſſa, & opaca propter pororum implicantiam. Hinc famoſa Valeriani Magni experientia,

quæ

quæ in tubo vitreo hermeticè vna parte occluſo plenóque argento viuo peragitur, non conuincere videtur, dum enim in aquam argentum viuum deſcendit, tubíque medietatem ad ſenſum vacuam relinquit, illi ſuccedit lux per poros vitri ingreſſa, ſicque medietas illa non eſt reuera vacua, licet ſic appareat.

Dico quartò, in omni corpore quamplurima vacua ſunt diſſeminata. Probatur ex compoſitione continui; atomi enim propter figuram irregularem non ita bene copulantur, quin poros relinquant, vt patet maximè in viuentibus, quæ alioquin non creſcerent per intus ſuſceptionem defectu meatuum; imò & in corporibus etiam denſiſſimis; aurum enim hydrargyro ſaturatur, & in cæteris etiam metallis inflexio, diductio, & contractio cernuntur.

Dices: aliqua non videntur pati inflexionem. Contra: patiuntur de facto, ſed propter exiguam partium diſtractionem talis inflexio non eſt ſenſibilis. Conſtituatur virga ex tali materia, & ad eam infringendam requirantur octo gradus conatus; quæro an à ſeptem conatus gradibus vim aliquam paſſa ſit illa virga, vel non: ſi ſecundum, non frangetur octauo, ſeptem enim nihil in eam potuerunt, multò minus vnus qui ſupereſt: ſi verò vim aliquam paſſa eſt; ergo per ſingulos gradus paulatim labefactabatur per maiorem, & maiorem partium diductionem, donec tandem per octauum gradum nexu omnino ſoluto frangitur; prius enim res inflecti debet; poros igitur ligni, verbi gratiâ, replet aër, aëris poros æther, ſi detur æther, ætheris lux: luce autem recedente remanent pori vacui; neque enim datur progreſſus in infinitum; etſi igitur admitteretur natu-

ram abhorrere à magno vacuo, non tamen à paruo,ſicut viuens abhorret à magno vulnere,non tamen à poris, imò habet eos neceſſarios; ſic enim omnia corpora illis egent ad recipiendos influxûs cœlorum qui ſunt minutiſſima corpuſcula.

Probatur tertiò, ſpecialiter contra Carteſium: antequam communis illa totius vniuerſi materies tanta pernicitate moueretur, vel partes vnitas inter ſe,& omnino continuas habebat,vel non: ſi ſecundum; ergo inter partes erant ſpatiola vacua: ſi primum,quomodo diſtractæ ſunt à ſe inuicem, & circumactæ ſunt abſque eo quod vllum inane ſpatium admiſerint?

Dices, poros qui inter particulas intercedunt repleri tenuiſſimi pulueris granulis. Contra: vel illa granula ſunt flexibilia, vel non: ſi ſint flexibilia; ergo poros habent, at quo replebuntur pori illorum? ſi non ſint: flexibilia non poterunt ita ſeſe contingere quin ſpecioſa vacua relinquant.

Confirmatur ex aëre vi in phialam intruſo; primus replebat totam; qui ergo vi intruditur, vel priorem penetrat, vel occupat vacua quæ ibi antea erant.

Confirmatur ſecundò, ex rarefactione & condenſatione, quæ ſine dubio clarius, atque facilius explicantur, ſi admittantur vacua illa inter particulas primas,vt infra patebit.

Obiicies: vacuum eſſet pars mundi.Reſpondeo non magis eſſe partem quam tenebras, & cæcitatem. Opponuntur nobis multæ experientiæ: ſed ne in longum nimis iſta quæſtio protrahatur, ſit

QVÆSTIO II.

Quomodo reſpondendum ſit experientiis, quæ afferuntur à negantibus vacuum.

PRima experientia eſt cucurbitularum medicorum in quibus videmus carnem aſſurgere. Reſpondent aduerſarij talem effectum prouenire ex eo quod aër à calore flammæ rarefactus condenſetur, cum extinguuntur candelæ, & cum condenſatur, minorem locum occupet neceſſe eſt, & ſic aſſurgit caro propter metum vacui.

Contra primò, obſeruaui carnem aſſurgere antequam candelæ extinguantur, atque adeo antequam condenſetur aër, imò dum magis caleſit. Secundò, momento quo cucurbitula imponitur flatu expellatur aër rarefactus, aſcendit eodem modo caro. Tertiò, impleatur cucurbitula fumo ſpiſſo, vel vngatur oleo coagulato, aut pinguedine, apponatur intus linteamen madidum, vt attollantur vapores, & ſic repleatur quod per condenſationem poſſet relinqui vacuum; ſed ſemper eodem modo aſſurgit caro, & tamen ibi non eſt timendum vacuum. Si hoc proueniret ob metum vacui, deberet idem effectus cerni, ſi cucurbitulæ applicarentur ligno. Deinde aliquando fiunt tumores in vultu ſimiles illis, non certè ad impediendum vacuum, vt patet. Demum deberet ceſſare tumor ſtatim amotis cucurbitulis, quia tunc ceſſaret metus vacui.

Reſpondet Paſcalis hunc effectum prouenire ex eo quod aër circunſtans cucurbitulam premat carnem & cogat aſſurgere, dum condenſatur aër

per

per extinctionem candelarum : ſed eodem modo refutatur. Præterea , ſi hoc preueniat ex ſolo pondere, quare non aſſurgit caro in cucurbitulis cruri hominis applicatis ſine igne ; cum tamen (omnia munda mundis) vt à quodam peritiſſimo & eruditiſſimo medicinæ profeſſore didici , aſſurgat caro fæminæ quodam morbo fæmineo ægrotantis , dum cucurbitulæ applicantur etiam ſine igne. Non diffiteor tamen talem preſſionem aliquid iuuare.

Dico igitur carnem aſſurgere ex eo quod aër calefactus ingrediatur in carnem ; calore enim aperiuntur pori & inflatur pellis quam propter vnionem ſequitur caro , & proritatur ſanguis vt affluat : aſſurgit autem in fœminis, quia dum tali morbo ægrotant , exhalant malignos vapores calidos qui per vitrum aut aliud vas applicatum parti , vbi magis dolor vrget, reflectuntur & pellem calefaciunt & ingrediuntur , & ſic inflant.

Secunda experientia : è dolio non egreditur vinum niſi fiat aliud foramen aut deſuper aut in ſummitate.

Reſpondent aduerſarij hoc fieri propter metum vacui, quia niſi fieret aliud foramen , relinqueretur aliquod ſpatium vacuum à quo natura abhorret.

Contra : ſi impleatur dolium aqua, non experiemur eamdem difficultatem , vt refert Sorel ; & quomodo poteſt timeri vacuum in dolio, cum vinum vnius dolij tot vapores emittere poſſet quot ſufficerent ad implenda plura dolia. Demum , cum aliquæ menſuræ vini extractæ ſunt , non eſt amplius recurrendum ad foramen. Dices fortè aërem tunc rarefieri : at nunquid antea vinum rareſieri poterat.

Reſpon-

Reſpondent Carteſiani hoc prouenire ex eo quod corpuſcula quaquauerſum magno impetu volitantia ante foramen impediant vinum ne egrediatur, at ſi fiat deſuper per illud ſeſe immiſcent & vrgent vinum.

Contra : ſi foramen non fiat deſuper, ſed tantum in ſuperiori parte eiuſdem faciei dolij, egreditur vinum quod tamen poterat impetus corpuſculorum impedire & quaſi obturare duo foramina tam bene quam vnum, quandoquidem ſunt in eadem fronte.

Reſpondet Magnanus vinum effluere quando factum eſt foramen deſuper, quia aër grauitat deſuper & aërem pellit qui impediebat egreſſum vini. Fateor hanc reſponſionem mihi multùm placere & reuera concedo pondus aëris deſuper non parum iuuare, attamen non omnino ſoluitur difficultas;

Contra enim : cur, quando aliquæ menſuræ vini fluxerunt, non ſentitur talis difficultas; licet enim nullum fiat foramen deſuper, libere fluit vinum? an forte diceres, quia aër iam incluſus grauitat ſupra vinum, at nonne vinum quod antea ibi erat magis grauitabat? certe vinum grauius eſt aëre, deinde & hoc eſt etiam contra omnes alios, fiat foramen paulò maius, cuius diameter ſit tranſverſum digiti &, quantumvis plenum ſit dolium, nulla ſentietur difficultas. Nec dices ob magnitudinem foraminis ingredi aërem; nam contra : toto foramine & cum magno impetu egreditur vinum.

Dico ergo non egredi vinum, quia partes vini ſeſe inuicem comprimunt, vnde non effluit vinum niſi feſtuca vel alio intruſo prorites & guttam aliquam diripias quæ quaſi facto impetu plurimas

alias

aliās eadem eruptione fluentes ponè ſe trahat & quandiu palea per foramen in dolio remanebit, tandiu vinum effluet : fit autem foramen aliud vt fumoſi vapores egrediantur,qui nimis vinum comprimebant tenaciuſque reddebant ; adde quod aër ſi ingrediatur iuuat diuiſionem.

Tertia experientia : in vaſe hortenſi ſubtus in modum cribri pertuſo aqua tenetur ſuſpenſa, quandiu foramen ſuperius obturatur, & fluit ſtatim atque aperitur illud foramen.

Reſpondent aduerſarij hoc euenire,quia ſi flueret aqua, daretur vacuum, cum nihil ſubſtitueretur loco illius.

Contra : cur non reſpondent conſequenter ad ſuperiorem experientiam, quod ſicut factis duobus foraminibus in fronte dolij, per vnum ingreditur aër & per aliud egreditur vinum, ita etiam cum multa ſint foramina in fundo illius vaſis, per vnum poſſet aër aſſurgere, dum per alia effunderetur aqua? Deinde fiat foramen in aliquā pelle aëri expanſæ & eadem erit difficultas, vt refert Sorel. Præterea eandem difficultatem experimur in phiala plena omnino euerſa, ſi collum ſit anguſtius & quidem non propter metum vacui ; quando enim phiala eſt tantum ſemiplena, idem non euenit, licèt ſit idem periculum vacui, ſi dicas in iſto caſu egrediente aqua rarefieri aërem: contra : quando phiala plena eſt egrediente vna parte aquæ poterat alia rarefieri & par eſt ratio; & reuera ſi author naturæ inſtituiſſet vt nullum natura creata admitteret vacuum, non eſt dubium quin faciliori & ſimpliciori modo vſus fuiſſet ad vitandum huiuſmodi vacuum ; nam ſapientiæ Dei eſt ita procedere, & ad hoc reuocatur illud axioma, fruſtra fit per plura quod fieri

poteſt

poteſt per pauciora, & fruſtra fit per difficilia media, quod poteſt fieri per facilia; atque adeo cum facilius & ſimplicius impediretur vacuum per rarefactionem aquæ, non eſt cur hoc fieret per ſuſpenſionem aquæ quam tota natura ſtupens miratur.

Reſpondet Maignanus, vt vera cauſa cognoſcatur, ſumi debere vnicum foramen; ſic enim dicendum erit de reliquis. Illi igitur imminet cylinder aquæ qui bene ſuſtineri poteſt ab aëre circumpellente, præſertim cum ſit tantum palmaris aut paulo amplius; ſi enim longior eſſet, paululum efflueret; adde quod aër & aqua non conſentiunt ire filatim ſed bullatim & guttatim ire tentant, oſtium verò eſt valde exiguum: itaque aperto ſuperiori ſpiraculo fluit propter aërem cylindro aqueo inſiſtentem, & propter eandem rationem non effluit aqua è phyala omnino euerſa; bene tamen ex inclinata, quia tunc oblique incurrunt in ſe inuicem aqua & aër & propter angulum facilius illa in guttas, hic in bullas diuiditur.

Contra: ſi hoc proueniret à vi aëris circumpellentis & ſuſtinentis, idem euenire deberet, ſi foramina eſſent latiora, quod tamen falſum eſt, & à fortiori ſuſtineri deberet aqua phialæ tantum ſemiplenæ, & tamen tota effluit, vt dixi ſupra.

Dico igitur rationem eſſe, quia aqua diuiſioni reſiſtit, quæ reſiſtentia prouenit tum ob naturalem vnionem partium, tum verò maximè quia partes aquæ quæ ſunt ad latera A. & B. vide fig. 1. propter decliuitatem laterum premunt eas quæ ſunt in medio, & quia anguſta ſunt foramina impediunt diuiſionem aquæ: aperto autem ſuperiori ſpiraculo vaſis fluit aqua, quia pondus aëris inſiſtentis in foramine C. additum ponderi aquæ D D D D

ſuperat

ſuperat pondus aquæ quæ eſt in A.& B.atque adeo eius compreſſionem. Vnde arbitror quod ſi latera eſſent recta vt in K non ſuſpenderetur aqua, niſi forte adeo minuta eſſent foramina, vt ſequi non poſſet diuiſio aquæ, vt non ſequitur in vitro, licèt certum ſit in eo eſſe poros. Arbitror etiam quod ſi vas hortenſe tranſferretur plenum in ſpatiis vltramundanis, non flueret aqua quantumvis aperto ſpiraculo, quia ſcilicet nihil adueniret cuius auxilio aqua D D D D vinceret & propriam vnionem & compreſſionem laterum, è phiala verò ſemiplena euerſa effluit aqua, quia partes aquæ A & B non multum comprimunt medias partes, quando verò foramina ſunt maiora, compreſſio non habet vim impediendi, imò egreſſum accelerat. Confirmatur: in horologio è puluere non ſiſtit puluis, licet videatur eſſe periculum vacui, quia ſcilicet pulueris granula non ſunt vnita & in medio fit circularis foſſula, quia puluis qui eſt in medio decidit ante eum qui ad latera eſt.

Quarta experientia: aptetur lamina ferrea ita læuigata vt marmori vel alicui alteri plano ſubiecto immobili perfectè congruat, attolli non poteſt niſi ex altera parte prius eleuetur & inclinetur, cum tamen antequam applicaretur, facilè geſtaretur.

Reſpondent aduerſarij hoc euenire ad vitandum vacuum; ſi enim lamina ſimul æqualiter eleuaretur, cum aër non poſſet eſſe ſimul & tam citò in medio quam in extremis laminæ, eſſet vacuum in medio à quo natura abhorret.

Contra: quodnam magnum inconueniens eſſet dari vacuum per vnum vel alterum momentum? num totus rueret orbis? miror naturam velle & cauſare eclypſes ſolares quæ tantum nocent mundo,

mundo, cum tamen adeo ſit ſollicita impediendi vacui duraturi per tam breue tempus, quod cui nociturum foret non patet. Deinde planum marmoreum affigatur laqueari, tum illi applicetur lamina, an credis non caſuram? velleſne ſubtus immobilis permanere, itavt capiti tuo lamina immineret? caderet ſine dubio, quia vi ſui ponderis reſiſtentiam aëris vinceret.

Dico igitur cum Magnano non totum laminæ pondus ferre eum qui illam manu geſtat, quia portionem ponderis eius aliquam fert aër; quod patet ex eo quod grauitationis laminæ multum auferat aqua, totam verò mercurius quoad ſenſum ſcilicet: magis autem grauitat lamina ſupra planum poſita quam in manu, quia dum manus reuulſionem tentat, nihil eſt quod ſuccedat vt ſuſtineat illam grauitationis portionem quam ſuſtinebat aër, dum lamina eſſet in aëre libero; adde quod ex alio capite magis grauitat ob aërem perpendiculariter inſiſtentem. Quare manus reuellens deberet ſuſtinere non ſolùm totum omnino laminæ pondus, ſed etiam columnam illam aëris. Imo non poſſes tuam ſuſtentare manum ſub aëre ſuperiori niſi iuuante inferiori; poſſet autem determinari vis ad eleuandam è plano laminam ſufficiens; neque enim pondus habet infinitum, ſi anſa arriperetur vnco ſtateræ, adderêturque pondus examinis ſufficiens. Porro lamina facilè poteſt moueri horizontaliter, quia grauitas vt ſic non reſiſtit motui qui eſt circa centrum, ſed tantùm motui à centro.

Dicunt aliqui ſubiectum planum aliquando eleuari quod Maignanus ad vim quandam magneticam refert. Verùm illam inter ferrum & marmor nondum nouimus. Dico igitur, ſi illud-

acciderit accidiſſe ex eo quod dum tentaretur lamina ſuperpoſita attolli, motum fuerit ſubiectum planum, & ex aliqua parte ingreſſui aëris ſubtus locum dediſſe, ſicque repente aër ſuccedens impetum impreſſit.

Quinta experientia: folles occluſis omnibus foraminibus non poſſunt aperiri.

Reſpondent aduerſarij hoc euenire propter metum vacui; ſi enim aperirentur, cum nihil ſuccedere poſſit, daretur vacuum à quo natura abhorret. Verùm, ſi hæc reſponſio valeret, ſacci pellicei ſtrictiſſime occluſi; potius diſrumperentur quam dilatarentur, quod eſt contra experientiam.

Dico igitur hoc euenire partim ob variam diſpoſitionem circulorum & poſtium qui firmius hærent, cum aër non ingreditur: partim etiam quia, cum nihil ſuccedat, nihil etiam iuuat manum ad attollendos poſtes columnaſque aëris imminentis ſubleuandas & ad eius reſiſtentiam ſuperandam.

Sexta experientia: attracto per calamum aëre aſcendit aqua vel vinum.

Reſpondent aduerſarij hoc euenire vt impediatur vacuum.

Contra: ſi ponatur aliqua maſſa paruula plumbi aut alicuius alterius in calamo, attrahetur halitu cum aëre qui eam ambiebat; at certè non propter metum vacui, imò propter talem metum aſcendere non debuerat. Deinde eadem attractio fit in aëre aperto, attrahitur papyrus &c. attractio tamen non eſt adeo valida, reſpirationis enim vis in maiori ſpatio retunditur.

Dico igitur omnia hæc euenire ob vnionem aëris cum aqua vel aliquo liquore; cum enim repente

repente attrahitur aër, ſubiectus liquor ſequitur, quia cum illo quaſi concatenatur. Similiter aſcendit maſſa in calamo tum ob illam vnionem, tum ob impetum ab aëre attracto impreſſum. Confirmatur: quia, ſi deſiſtas ab attrahendo, decidet aqua. Deinde ſi tubum ad aliquod ſolidum applicueris & attrahas aërem, non ideo attrahetur lignum aut marmor aut aliud ſimile., & tamen attractionem aëris eodem modo fieri experimur. Omnes igitur tales conſimileſque motus fiunt attractione aut impulſu. Reliquarum experientiarum paſſim reddetur ratio in toto decurſu philoſophiæ.

QVÆSTIO V.

An & qualis daretur motus in vacuo.

HVic quæſtioni locum dedit Ariſtoteles qui, vt negaret vacuum contra philoſophos antiquos dicentes ſine vacuo non poſſe dari motum, dicit vacuum officere motui, neque poſſibilem eſſe motum in vacuo, quia motus in vacuo eſſet inſtantaneus.

Dico primò, inducto vacuo, poſſet naturaliter dari motus in illo.

Probatur: ſi homo collocaretur ſupra extimam cœli empyrei ſuperficiem, poſſet in ea moueri, ſiquidem haberet in ſe principium talis motus & à nulla re impediretur quominus ſe pro libito mouere poſſet, nec deeſſet terminus ad quem poſſet tendere, ſcilicet altera pars cœli empyrei; in medio enim vacui eſſent etiam termini, quia tales terminos eſſe aliquod reale, non eſt neceſſe; & quænam eſt repugnantia? Cur non poſſet ibi conſtitutus vibrare ſagittam.

Objicies:

Obiicies : omnis motus lationis eſt ad aliquem locum, & ſicut, ſi nulla eſſet qualitas producibilis, non daretur motus alterationis ; ita, ſi nullus ſit locus acquiſibilis, nullus erit motus lationis; atqui in vacuo nullus eſt locus ; ergo neque motus lationis.

Reſpondeo omnem motum lationis eſſe quidem ad aliquem locum intrinſecum eo modo intellectum quo nos explicuimus ; at non ſemper ad aliquem locum extrinſecum, neque hoc ad rationem motus requiritur.

Inſtabis primò, omnis motus realis debet terminus eſſe realis ; atqui in vacuo non poſſet dari terminus realis ; ergo nec motus.

Reſpondeo taliter poſſe diſponi motum, vt latera ſint termini motus, & tunc termini eſſent reales, vt patet. Deinde talis motus qui fieret in vacuo dici poſſet realis ex parte mobilis, licet non eſſet realis reſpectu loci. & nihil inde ſequeretur incommodi.

Inſtabis ſecundò, omnis motus ſit ad dexteram, vel ad ſiniſtram;at in vacuo neque eſt dexterum,neque ſiniſtrum.

Reſpondeo dexterum & ſiniſtrum eſſe denominationes extrinſecas, atque adeo vacuum dici poſſet habere dextrum & ſiniſtrum reſpectu noſtri, vel reſpectu partium mundi. Demum, ſi negetur maior, quis eam probabit ?

Dico ſecundò, motus qui fieret in vacuo non eſſet inſtantaneus.

Probatur quia, vt infra oſtendemus, non datur motus ſine ſucceſſione, & ſucceſſio non poteſt eſſe in inſtanti, vt notum eſt ex terminis ; ergo neque motus fieret in vacuo in inſtanti.

Contra : ſi eſſet columna excelſa vſque ad concauum

cauum Lunæ, & ſtatim deſtrueretur aër omnéque aliud corpus ambiens, nunquid lapis qui è faſtigio proiiceretur totam columnam in inſtanti percurreret? hoc ſine dubio concipi nequit; debet enim prius eſſe in medio quam in imo, ſed vbi eſt prius & poſterius, ibi non eſt vnicum inſtans. Debere autem prius eſſe in medio quam in imo fatendum eſt, alioquin lapis eſſet ſimul & ſemel in omnibus partibus turris.

Obiicies, vbi nulla eſt reſiſtentia & nulla diſtantia, ibi motus eſt inſtantaneus; at in vacuo nulla eſt reſiſtentia, nec diſtantia, in vacuo enim nihil eſt quod poſſit reſiſtere, cum in eo nullum ſit corpus. Deinde diſtantia oritur ex quantitate reali & magnitudine; at in vacuo nulla eſt quantitas realis, ergo nulla diſtantia; at vbi non eſt diſtantia, mobile non habet partes quas tranſeat, ita vt vnam poſt aliam tranſeat.

Reſpondeo ſucceſſionem motus non prouenire ex ſola reſiſtentia, ſed à diſtantia loci, quæ diſtantia non debet eſſe neceſſariò aliquod corpus interceptum, ſed ſufficit ſi termini à quo & ad quem non ſint vnus & idem, neque enim diſtantia ſonat aliquod corpus reale, vt diximus ſupra; adde quod habet etiam ſuas partes mathematicas.

Inſtabis: mobile eò velocius fertur per ſpatium, quò medium per quod tranſit eſt ſubtilius, ergo, ſi nullum ſit medium, nullo opus erit tempore.

Reſpondeo non à ſola ſubtilitate medij prouenire velocitatem, ſed etiam à cauſa motrice, vt patet in motibus qui fiunt per impulſum, & in æquali medio, motus eò citius perficitur quò terminus eſt minus remotus.

DISPVTATIO IV.

De motu.

MOTVS conſideratio maximi momenti eſt, ideò non vno in loco de illo tractatur: hic autem generaliter quæ de illo inſtitui ſolent, quæſtiones diſcutiemus.

ARTICVLVS I.

De motu generaliter ſumpto.

IN iſto articulo de motu generaliter ſumpto, & de eius oppoſito, nempe de quiete diſſeremus relinquentes motus localis tractationem pro articulo ſecundo.

QVÆSTIO I.

Quid ſit motus & quotuplex.

DIco primò, motus rectè definitur actus entis in potentiâ prout in potentiâ.

Explicatur: iſta definitio eſt motus generaliter ſumpti pro omni mutatione, & dicitur actus, quia cum omni potentiæ actus reſpondeat, & cum poſſe moueri dicat potentiam, eius actus non poteſt

poteſt eſſe alius quam motus, quia ab eo quod eſt moueri poſſe tranſit ad ipſum moueri; vocetur autem illa potentia, mobilitas, & ipſius actus, motus: dicitur actus entis in potentia, ſiue entis cui mobilitas ineſt, ſiue entis mobilis, & quidem in potentia paſſiua: dicitur actus entis in potentia prout in potentia, quæ vocabula mirè torſerunt animos eorum qui potius verborum ſenſum perſcrutantur, quam veritatem rei. Sed ſic illa explico cum Mouſnerio, motus non eſt quilibet actus illius entis quod eſt in potentia, verbi gratiâ, non eſt actus corporis viuentis indifferenter, ſed eſt actus qui tantùm huic potentiæ reſpondet, verbi gratiâ, ſanatio eſt actus corporis ſanabilis, vt ſanabile eſt, non quatenus eſt corpus viuens, &c. calefactio eſt actus corporis calefactibilis, vt calefactibile eſt, non quatenus eſt durum, denſum, &c. vel ſic intellige illa verba actus entis in potentia, ſeu mobilis quatenus eſt adhuc mobile, necdum eſſe motum intelligitur, ſed tantùm moueri; nempe motus eſt quidam tranſitus mobilis à termino à quo ad terminum ad quem, quædam via, quædam tendentia ab vno ad aliud, verbi gratiâ, calefactio eſt tendentia & via & tranſitus ad calorem.

Obiicies, quod eſt actus non relinquit ſubiectum in potentia; at motus relinquit ſubiectum in potentia; ergo non eſt actus.

Reſpondeo, diſtinguo maiorem: actus non relinquit ſubiectum in potentia reſpectu ſui, Concedo: ſi ſit actus imperfectus, reſpectu vlterioris & perfectioris, Nego.

Dico ſecundò, datur motus ad quantitatem, qualitatem, & vbi.

Probatur prima pars: viuens augetur; ſed tale

augmentum fit à minori ad maiorem quantitatem; ergo datur tranſitus à minori quantitate ad maiorem, atque adeo motus.

Obiicies: motus eſt inter terminos contrarios; at magnum & paruum qui ſunt termini motus ad quantitatem, non ſunt termini contrarij; ergo ad quantitatem non datur motus.

Reſpondeo, Nego maiorem, ſi intelligatur de contrarietate rigoroſa; ſufficit enim ſi termini ſint oppoſiti & incompoſſibiles ea ratione quâ ſunt termini; at paruum & magnum ſunt eo modo contrarij, ſiue oppoſiti; licet enim adueniente noua quantitate prior maneat realiter, non tamen ſub ratione paruæ, quam ante habebat, & à qua incipit motus. Demum paruum & magnum ſunt relata; atque adeo incompoſſibilia ſub eodem reſpectu: nam homo, verbi gratiâ, dicitur paruus reſpectu montis Olympi, & magnus reſpectu formicæ.

Probatur ſecunda pars ipſamet experientia; manus enim prope ignem admota paulatim & ſucceſſiuè acquirit alios & alios gradus caloris. Ratio eſt, quia cum manus è frigida fit calida, ibi eſt oppoſitio inter terminum à quo & terminum ad quem, ſeu inter frigus & calorem. Quare cum calor nequeat vnico inſtanti ſuperare totam reſiſtentiam frigoris, non niſi per gradus & paulatim illud expellit, adeoque ſucceſſiuè in locum illius introducitur.

Probatur tertia pars, quia cum per motum localem tranſeundum ſit ſpatium cui mobile ſimul æquari non poteſt, hinc neceſſariò ſequitur illud ſucceſſiuè percurrendum eſſe. Concluſionem ſuperiorem tenent omnes communiter, & ſimul negant dari motum ad reliqua prædicaméta, attamen

Dico

Dico tertiò, datur motus ad ſubſtantiam.

Probatur: generatio corporum eſt verus motus; ergo datur motus ad ſubſtantiam. Probatur antecedens: tranſitus ab vno termino ad alium terminum oppoſitum eſt motus; atqui generatio eſt talis; ergo eſt verus motus. Maior mihi videtur clara & coincidere cum definitione motus; minor etiam patet: nam generatio eſt tranſitus à priuatione formæ ad formam, & ſi fortè reperiatur quædam difficultas quoad generationem, certè nulla erit quoad conuerſionem, quæ eſt tranſitus à forma ad aliam formam, vt cum lignum conuertitur in flammam, fit tranſitus à forma ligni ad formam flammæ.

Dices talem tranſitum fieri in inſtanti, quia omnia quæ præcedunt introductionem formæ ſunt tantùm diſpoſitiones quibus completis educitur forma ſubſtantialis in inſtanti.

Contra: hoc argumentum habet quidem aliquod pondus contra eos qui tenent formas ſubſtantiales eſſe ſubſtantias totaliter & adæquatè diſtinctas, at nihil efficit contra nos; cum enim forma ſubſtantialis ſecundùm nos conſiſtat in harmonia & contemperatione, talis harmonia, taliſque contemperatio & diſpoſitio partium non fit niſi ſucceſſiuè, atque adeo per generationem res non tranſit à non eſſe ad eſſe ſimpliciter; hoc enim pertinet tantùm ad creationem, & ſic non eſt neceſſe vt forma ſimul tota fiat.

Obiicies primò, illud ad quod datur motus, producitur, atqui forma non producitur; ergo ad formam non datur motus.

Reſpondeo, diſtinguo maiorem: illud ad quod datur motus, producitur ſecundùm eſſe ſimpliciter, Nego: ſecundùm eſſe taliter, Concedo, &

hoc ſufficit. Deinde diſtinguo minorem: forma non producitur ſecundùm ſuum eſſe ſimpliciter & materialiter, Concedo: formaliter & taliter, Nego; ſiue agentia creata non producunt materiam ex qua fit forma, atque adeo non producunt formam ſecundùm ſuum eſſe; ſic enim crearent, ſed producunt formam ſecundùm talitatem, ſiue taliter diſponunt materiam, & vt loquar cum D. Bonauent. *Entem ſub vna diſpoſitione faciunt eſſe ſub alia.* Deinde ſecundùm aduerſarios, datur motus ad quantitatem; ſed quantitas non fit, eſt enim coæua materiæ; ergo non valet eorum argumentatio.

Objicies ſecundò, motus eſt à contrario in contrarium; at ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; ergo ad ſubſtantiam non datur motus.

Reſpondeo ex ipſis etiam aduerſariis ſufficere aliquam oppoſitionem: nam nihil quantitati contrarium eſt, & reuera forma ligni & forma flammæ inter ſe oppoſitæ ſunt & incompoſſibiles.

Dices formam ligni ſe habere per accidens ad formam flammæ: nam forma flammæ ex alio ſubiecto generari poteſt. Contra: eſto, ſe habeat per accidens: nunquid ideò dicendum eſt ibi non eſſe motum: certè Narbonam iri poteſt per varia itinera, ſed nunquid negandum eſſet moueri eum qui Carcaſſonâ venit Narbonam, ex eo quod Biterris Narbonam iri poteſt.

Obiicies tertiò, in productione ſubſtantiæ non eſt decurrenda aliqua latitudo, ſiue extenſionis, ſiue intenſionis, ſiue ſpatij, adeóque ex nullo capite terminari poteſt motus ad illam.

Reſpondeo primò, Concedo ant. Nego conſ. & idem argumentũ fieri poteſt circa quantitatẽ; quæ

ſecundùm

ſecundùm ſe non habet extenſionem actualem, vt patet ex myſterio adorando Euchariſtiæ, vbi corpus Chriſti habet propriam quantitatem, non tamen extenſionem actualem. Secundò, Nego, quia datur latitudo extenſionis ad ſubſtantiam, corpus enim è minori fit maius additione nouæ partis ſubſtantiæ.

Dices motum terminari per accidens ad ſubſtantiam;at verò per ſe ad quantitatem.

Reſpondeo quantitatem non diſtingui realiter à ſubſtantia, atque adeo nil inſtantia facit contra nos: & quamvis diſtingueretur realiter, adhuc tamen daretur motus per ſe ad ſubſtantiam; quia ad illud datur motus per ſe, quod per ſe & primariò intenditur; atqui quando nutritur animal, intenditur primariò acquiſitio ſubſtantiæ, vt per illam reſarciatur quod deperditum eſt. Demum ſicut datur motus ad quantitatem, quia fit tranſitus à minori ad maiorem, ita dabitur motus ad ſubſtantiam, quia fit tranſitus ab eo quod eſt habere minus ſubſtantiæ ad illud quod eſt habere plus ſubſtantiæ, quod verificatur quamvis ſubſtantia denudata quantitate deberet confluere in punctum.

Quoad alia prædicamenta, vt reſpondeam,animaduerto motum & paſſionem eſſe vnum & idem: nam actus entis in potentia prout in potentia, & actus patientis vt patiens eſt ſunt vnum & idem, atque adeo cum non detur motus ad motum non datur etiam ad paſſionem; neque etiam ad actionem: nam actio & paſſio realiter ſunt vnum & idem: neque etiam ad relationem, quia acquiritur à me noua relatio ſine vlla mutatione in me. Demum neque ad reliqua vt conſideranti patebit.

Inferes non eſſe tantùm triplicem motum accretionis,alterationis, lationis,ſed quadruplicem, quia aliquid moueri poteſt ſubſtantialiter, extenſiuè, alteratiuè, localiter : verùm aduerte cæteros omnes motus ſemper motu locali perfici, & hoc inductione patet. Primò, quoad motum ad quantitatem, augetur aliquid, quia noua corpuſcula adueniunt, minuitur verò, quia ſeparantur,& quidem accretio quæ dicitur per iuxtapoſitionem fit per motum localem, neque enim alio modo noua materia priori aduenit, ſic augetur globus niueus, & in plurimis exhalatio ad ſuperficiem adueniens,ibi detenta concreſcit. Similiter etiam accretio quæ dicitur per intuſſuſceptionem fit per motum localem, partes enim ſubſtantiæ de nouo aduenientis in poros ſat motus habent, vt alias diuellant, ſed ipſæ implicantur & remanent, ſicut ſagitta in ſagittarum faſciculum emiſſa aliam pelleret, ſed ipſa cum aliis implicaretur, atque detineretur. Denique plantæ decreſcunt, quia ſucci per radices aſcendentes per totam plantam diffunduntur. Quoad motum alterationis, alteratur ſubiectum, cum particulæ intra poros poſitæ vario modo mouentur, ſic panis alteratur, cum aqua imbibitur; alteratur corpus noſtrum calore febris, dum ſpiritus modo contra naturam mouentur, humoréſque perturbantur. Quoad motum generationis & corruptionis:talis motus nihil eſt aliud quam motus alterationis perfectæ,& patet:nam è frumento fit farina motu, è farina fit panis,tum panis editur,in ventrẽ deiicitur, ibi per quendam ſuccum veluti per aquam fortem diſſoluitur,fitque liquor albus cuius quod delicatius eſt per Pequeti canalem deducitur; denique omnia motu peraguntur.

QVÆ

QVÆSTIO III.

Quomodo ſoluendæ aliæ difficultates quæ de motu in genere proponi ſolent.

QVæres primò, vnde ſumatur vnitas motus tum ſpecifica, tum numerica; imo & contrarietas.

Reſpondeo: hæc quæſtio lōgo ſtilo tractari ſolet à multis ex eo quod aſſerant motum eſſe entitatulam quandam ab omni prorſus ſubſtantia diſtinctam, at illas entitatulas admitti non debere pluries oſtendimus: conſiſtit autem motus proprie ex mobili, termino ad quem, termino à quo, & motore cum connotatione temporis, atque adeo quandiu erunt ea omnia eadem, tandiu erit idem motus, ſi verò vel vnum mutetur, non erit omnino idem, ſicut diximus de actione eam phyſice conſtare ex agente, paſſo, & termino; quod ſi vnum deſit, mutatur actio. Porrò cum terminus ad quem ſit illud quod eſt magis perpenſum à nobis, ideo dicitur communiter ſpecificatio ab ipſo ſumi & quia oppoſitio ſequitur ſpeciem motuum, contrarietas ex eodem principio deſumetur ac ſpecificatio.

Quæres ſecundò, num ſucceſſio ſit de eſſentia motus vt ſic.

Reſpondeo negatiuè, ſi de motu generaliſſimè ſumpto pro quacumque mutatione; nam generatio hominis eſt motus; ſed illa fit in inſtanti; anima enim creatur, & ſic corpus ex non homine fit homo per aduentum animæ: dixi generatio hominis; nam generatio corporis humani ſucceſſiua eſt.

QVÆSTIO IV.

Quid ſit quies.

DIco : quies generaliter dicitur carentia motus, quæ definitio vt patet, conuenit & quieti creaturæ, & immobilitati Dei. Et quia motus eſt actus entis in potentia provt in potentia, ſiue acquiſitio perfectionis vel tendentia ad aliquam perfectionem, rectè eius oppoſitum ſiue quies dicetur carentia talis tendentiæ ; atque adeo carentia motus.

Dico ſecundò, duplex aſſignatur communiter. Alia dicitur negatiua & alia poſitiua. Prima eſt perſiſtentia in carentia formæ, vt quam voluntas habet, dum eſt ſine amore aut ſine odio. Secunda eſt poſſeſſio formæ poſitiuæ, ſiue poſſeſſio perfectionis, vel termini, ſic quies in loco eſt poſſeſſio, ſiue occupatio talis loci. Poſſeſſio alicuius qualitatis corporeæ eſt quies in qualitate &c. Summa quies Dei eſt ſumma ipſius omnium perfectionum poſſeſſio, & noſtra quies perfecta nullibi reperietur, niſi in perfecta poſſeſſione Dei.

ARTICVLVS II.

De Motu locali.

PLura de motu locali inquiri poſſunt quam vt vno articulo ſoluantur : hîc agemus de illo tantùm in genere explicando quid ſit, quomodo ſe

ſe habeat reſpectu loci & temporis & quomodo velox aut tardus dici debeat.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Motus localis.

DIco primò, motus localis rectè definitur tranſitus de loco in locum, quæ definitio adeò clara eſt, vt nulla indigeat explicatione.

Objicies: motus circuli circa centrum eſt verus motus localis; ſed non eſt tranſitus de loco in locum; nam circulus remanet ſemper in eodem loco, ergo motus non eſt tranſitus de loco in locum.

Reſpondeo circulum non moueri ſecundùm ſe totum, ſiue ſecundùm ſuas omnes partes collectim ſumptas, ſed ſecundùm ſingulas ſui partes diſtributiuè ſumptas, nulla enim eſt pars quæ non mutetur loco, cum modò ſit versùs orientem & modò versùs occidentem.

Inſtabis; ſi angelus vel punctum phyſicum mouerentur circulariter; eſſet verus motus; ſed non habent partes; ergo non tranſitur de loco in locum, etiam ſecundùm partes.

Reſpondeo in angelo & puncto phyſico non eſſe quidem partes realiter, eſſe tamen æquiualenter, quatenus nihil eſt tam indiuiſibile quin in eo poſſint aſſignari plura, imò infinita puncta mathematica, ratione quorum moueri dici poterit, quatenus quodlibet punctum mathematicum ex vno puncto ſpatij ad aliud punctum trāſit.

Dico ſecundò, motus phyſice ſumptus non eſt entitatula quædam diſtincta ab omni prorſus ſubſtantia.

Probatur: motus actiuè ſumptus eſt actio mouentis, paſſiuè verò ſumptus eſt paſſio mobilis; atqui actio & paſſio non diſtinguuntur à motore vt agit, & à mobili vt agitur ſeu acquirit nouum eſſe, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundum quid, nempe eſſe in nouo loco; eſſe autem in loco non diſtinguitur à loco & locato, vt ſupra probauimus; ergo motus non eſt entitas diſtincta.

Objicies: inde ſequeretur eundem eſſe motum toties, quoties idem mobile eandem viam vt prius percurreret; at ſequela non eſt admittenda.

Reſpondeo, ſequeretur eſſe eundem motum phyſicè ſiue quoad id quod intrinſecum eſt ipſi motui, Concedo, quoad menſuram, ſiue illud quod eſt illi extrinſecum, Nego; tempus enim erit diuerſum.

Dico tertiò, motus conſtituitur phyſice per motorem, mobile, terminumque à quo ſeu locum relictum, terminum ad quem ſiue locum immediatum primo acquiſitum, cum connotatione temporis.

Probatur: illa ſunt principia intrinſeca alicuius ſine quibus res nec eſſe, nec concipi poteſt; atqui ſine illis omnibus nec eſt, nec concipi poteſt motus; ergo illa omnia conſtituunt motum.

Objicies primò, lapis proiectus ſurſum mouetur; atqui ibi non eſt motor: ſimiliter nec quando deſcendit lapis.

Reſpondeo, ibi eſſe motorem, vel aliquid tenens locum motoris qui proiecit, quid autem ſit illud infra videbimus, cum agemus de motu proiectorum.

Objicies ſecundò, poſſet Deus reproducere mobile in loco immediato; atqui tunc eſſent omnia ſuperius enumerata, & tamen non eſſet motus.

Reſpon

Reſpondeo, in illo caſu vel deſineret eſſe in priori loco ibique deſtrueretur, & ſic reuera non eſſet motus, quia illud mobile vt reproductum non tranſiſſet de loco in locum, quia vt reproductum nunquam fuit in priori loco; ergo deeſt aliquid, ſcilicet terminus à quo: vel remaneret in priori & propter eandem rationem deeſt terminus à quo reſpectu reproducti, & reſpectu remanentis deeſt terminus ad quem.

Inſtabis, reproductum & remanens eſt vnum & idem.

Reſpondeo, vnum & idem realiter, Concedo, formaliter vt reproductum eſt, Nego; ſic enim inuoluit principium reproducens, qui non poteſt dici motor, quia non facit tranſire de loco in locum, ſed tantùm productor, atque adeo deeſt vnum ex neceſſariis, ſcilicet motor.

Inferes inde motum diſtingui realiter inadæquatè, ſiue diſtinctione includentis ab incluſo, à mobili, ſcilicet per reliqua quæ includit & idem de reliquorum quolibet ſeorſim ſumpto dicendũ.

QVÆSTIO II.

Quomodo ſe habeat motus reſpectu termini.

TErminus qui per motũ acquiritur eſt vbi, eſt enim tranſitus de loco in locum, ſed quoad hoc duplex diſtinguitur vbi, ſiue vbicatio, vbi fluens & vbi fixum: vbi fluens eſt illud omne ſpatium quod percurrit mobile non quieſcendo in eo, fixum verò eſt illud ſpatium in quo quieſcit mobile. Vnde patet eſſe tantùm denominationes extrinſecas; idem enim qui dicitur fluens fuiſſet fixum, ſi ibi manſiſſet mobile.

Nota

Nota etiam duplicem eſſe vbicationem ſecundum aliam conſiderationem; alia eſt participans, alia verò non participans, ad cuius intelligentiam reuoca in memoriam punctum phyſicum habere quandam extenſionem, & licèt in ſe ſit phyſicè indiuiſibile, attamen mathematice eſt diuiſibile in infinitum. Igitur quod primò occupat ſpatium A. B. vide fig. 3. quando deinde occupat E F occupat locum participantem; ac demum quando occupat B. C. occupat locum non participantem, quia nullo modo participat cum A.B. Hoc poſito circa terminum tria quæruntur, ſcilicet num acquiri ſucceſſiuè terminus neceſſariò debeat, ſiue pars poſt partem: & num locus procul acquiri poſſit non tranſeundo per medium; demum an motibus contrariis idem moueri poſſit.

Dico primò, motus non eſt neceſſariò ſucceſſiuus phyſicè, bene temen mathematice.

Probatur prima pars, quia tunc motus eſt ſucceſſiuus reſpectu loci, quando vnus locus acquiritur neceſſario poſt alium; atqui phyſice res non ita ſe habet; nam cum punctum phyſicum quandam habeat extenſionem, poterit vnum punctum moueri ex A. in B. quæ, vt ſuppono, ſunt puncta phyſica, atque adeo phyſicè indiuiſibilia; vnde non poteſt ibi eſſe ſucceſſiua acquiſitio partium, cum non ſint partes, atque adeo cum illud punctum relinquit ſignum. 1. puncti A, acquirit ſignum. 1. puncti, B. & cum relinquit ſignum 2. puncti A, acquirit ſignum 2. puncti B; ſed tunc, vt patet, partes non acquiruntur poſt partes, quia punctum B non habet partes. Inde probatur ſecunda pars, quia mobile non poteſt in vnico inſtanti mathematico percurrere totum B; atque adeo, vt diximus, illud occupabit per vbicatio-

nes participatas, & inde etiam patet reſolutio ſecundæ difficultatis. Quare.

Dico ſecundò, non poteſt locus procul acquiri per motum, niſi tranſeundo per medium.

Probatur quia motus dicit tranſitum à loco in locum, atque adeo continuum fluxum, neque poteſt concipi motus puncti, niſi deſcribat lineam.

Probatur ſecundò, ſi mobile poſſet migrare è loco in locum ſine tranſitu per medium, v. g. angelus qui eſt in A. poſſet migrare in D ſine tranſitu per B. C. ad quamcunque diſtantiam locum acquirere poſſet, cur enim potius ad vnam quam ad aliam.

Objicies: poteſt Deus corpus quod eſt in vno loco ponere in alio diſtanti in inſtanti, atqui tunc non erit tranſitus per medium.

Reſpondeo, poteſt Deus ponere per motum Nego: per reproductionem, Concedo.

Dico tertiò, idem mobile non reproductum non poteſt ſimul moueri adæquatè in partes contrarias ſeu diuerſas.

Probatur, quia ſimul poneretur in duobus locis adæquatis, haberet enim duos terminos diuerſos; ſed idem non poteſt eſſe naturaliter in duobus locis adæquatis.

Dixi non reproductum, quia, cum per reproductionem ponatur in diuerſis locis, in illis motus contrarios habere non repugnat.

Dixi etiam adæquate; nam idem mobile quantumvis indiuiſibile moueri poteſt inadæquate motibus etiam contrariis; angelus enim dum ſe explicat, in partes contrarias moueri poteſt; imo in orbem. Deinde etiam cum anima ſecundùm ſententiam communiſſimam extenſa ſit per totum corpus, ita vt ſit omnibus partibus præſens, dum

mouetur

mouetur brachium versùs orientem & aliud versùs occidentem, mouetur etiam anima ad partes oppoſitas, ſed inadæquatè.

Objicies: homo qui in naui tendit versùs orientem, mouetur versùs occidentem duos habet motus contrarios.

Reſpondeo illum per ſe moueri tantum versùs occidentem & per accidens versùs orientem.

Objicies: globus emiſſus è tormento tendit & versus centrum & versùs aliam partem.

Reſpondeo concluſionem intelligi debere de motu ſimplici, non verò de motu compoſito qui eſt cum pro rata de pluribus participat.

QVÆSTIO III.

Quomodo ſe habeat motus reſpectu temporis.

SVppono velocitatem & tarditatem eſſe denominationes relatiuas, nam idem motus A cum motu B comparatus dicetur tardus, at verò comparatus cum motu C. dicetur velox; ſicut in quãto magnum & paruum dicũtur reſpectiuè; atque adeo nullus eſt motus quantũvis velox qui tardus dici non poſſit, ſi cum velociore comparetur & nullus quantũvis tardus qui velox non dicatur; ſi comparetur cum tardiore. Porro velocior motus dicit vel æquale tempus, ſed maius ſpatium, vel æquale ſpatium, ſed minus tempus; & ſic velocitas motus reſpicit & locum & tempus. Hoc poſito.

Dico primò, omnis motus fit in tempore.

Probatur: res eodem inſtanti in duobus locis adæquatis eſſe, non poteſt; at motus eſt tranſitus de loco in locum; ergo dicit plura loca, vnus enim locus relinquitur & alius acquiritur; ergo dicit

dicit plura inſtantia, aliàs ſimul eſſet in termino à quo & in termino ad quem & in medio, quod implicat.

Objicies, ſicut dantur puncta phyſica, ita dantur inſtantia phyſica habentia quandam extenſionem & intra illam extenſionem poterit moueri punctum phyſicum.

Reſpondeo, Nego dari inſtantia phyſica, & quamvis darentur, adhuc tamen vera eſſet propoſitio de tempore mathematicè conſiderato quod eſt in infinitum diuiſibile.

Dico ſecundò, in motu veloci non ſunt ſaltus, & in tardo non ſunt morulæ.

Probatur prima pars: non fit motus niſi tranſeundo per medium; atqui ſequeretur fieri motum non tranſeundo per medium; ergo in motu veloci non ſunt ſaltus, nam ſaltus eſſet cum v. g. mobile puncto A. relicto, immediate poſt occuparet punctum C. quod fieri nequit niſi per reproductionem, quæ non eſt motus localis.

Probatur ſecunda pars: primò ad motum tardum ſufficit minus concitata, continua tamen & immediata ſingularum partium motus per ſingulas ſucceſſio, ergo non ſunt admittendæ morulæ.

Probatur ſecundò, ex motu ingentis rotæ in qua puncta A. B. C. ad idem ſpatij punctum regrediuntur, licèt circulus C. E. F. longè velocius quam circulus A. I. K. voluatur; conficit enim longè maius ſpatium, & tamen nulla eſt morula in circulo A. I. K. nam radius D. C. manet ſemper rectus. Vide fig. 3.

Objicies: mobile quieſcit vno inſtanti in primo puncto, alio inſtanti in puncto ſecundo, ſed quies eſt morula, ergo dantur totidem morulæ.

Reſpondeo, non dari inſtantia phyſica extenſa,

vt iam monui; adde quod eſſe per vnum inſtans in vno loco non eſt quieſcere; quies enim dicit ſaltem duo inſtantia, vnum quo occupet locum, & aliud quo ibi perſiſtat; nam eo inſtanti quo primò acquirit B eſt motus, itemque illo quo primò acquirit C. &c. ergo in B. C. D. eſt motus, ergo nulla morula.

Dico tertiò, velocitas & tarditas non habent ſuum maximum, quod ſic abſolute loquendo

Probatur: nullus eſt motus aſſignabilis adeo velox quo non poſſit effici velocior; nam in figura ſuperiori tres circuli circulationem conficiunt vno quadrante, v. g. ſi fieret alius circulus ſupra, eodem quadrante conficeret ſuam circulationem, ſed multò velocius, & ſic de reliquis, ſed quò punctum C. conficeret ſuam circulationem velocius, eò tardius eam conficit punctum A.

Dixi abſolute, quia attenta virtute naturali datur velocitatis maximum quod ſic etiam ſecluſa reſiſtentia medij, quia virtus nunquam ſuperatur à ſuo effectu, virtus autem creaturæ eſt limitata & determinata, vel quoad ſe vel quoad ſui applicationem vel quoad vtrumque; diuina verò virtus, vtpote omnino illimitata poteſt ſe magis ac magis applicare.

Colligi inde poteſt mouens quantumlibet exiguarum virium, ſi cum velocitate moueat, ſuperare quantamcumque reſiſtentiam mobilis tardè mouendi, dummodo ſit maior proportio velocitatis ad tarditatem quam reſiſtentiæ ad vires exiguas.

Dico quartò, reſpectu eiuſdem medij phyſici & realis tres ſunt conditiones in mobili corpore quæ faciunt motum velociorem, magnitudo, denſitas & figura.

Probationi

Probationi præmitto res alias eſſe facilius diuiſibiles, alias verò difficilius; vnde ſi cauſa motus difficilius diuiſibile contra facilius diuiſibile impellat, neceſſe eſt facilius diuiſibile ſcindi & inter partes ſuas admittere difficilius diuiſibile; & diuiſio facta erit & etiam motus localis, ſi cætera requiſita concurrant; nam difficilius diuiſibile mutauerit locum. Porro denſum eſt difficilius diuiſibile quam rarum cæteris paribus; hoc eſt ſi habeant eandem partium tenacitatem.

Probatur igitur: rarum reſpectu denſi eſt diuiſibile, & denſum è conuerſo diuiſiuum; ergo quo maior erit proportio denſitatis in diuidente ad raritatem diuiſi, eò neceſſe eſt diuiſionem eſſe expeditiorem & motum velociorem.

Eodem modo res ſe habet de figura; quoniam enim vna figura eſt aptior ad diuidendum quam alia; videmus enim artifices figuras acuminatas ad ſecundum eligere, quò figura aptior eſt, cæteris paribus, eò motus etiam velocior erit.

Tandem quia in denſis eiuſdem figuræ, comparatio denſitatis ad figuram eſt maior in maioribus, cæteris paribus corpora ſimilia maiora velocius quam minora mouentur.

DISPVTATIO V.

De Duratione.

INEXTRICABILES omnino & fere inſuperabiles quæſtiones ortæ ſunt circa durationem, ſicut etiam & circa

circa tempus; ex eo quod modi ponantur eſſe entitates diſtinctæ ab omni prorſus ſubſtantia, quas cum nos non admittamus etiam à quæſtionibus illis liberi ſumus. Tamen vt expeditius reſpondeamus, eas quæ neceſſariæ ſunt, attingam ſufficienter; quia verò paucæ ſunt, ideo hanc diſputationem immediate in quæſtiones diuido.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit Duratio.

DIco primò, duratio eſt permanentia in eſſe. Illa definitio mihi videtur adeo clara, vt nulla indigeat explicatione; permanentia enim in eſſe, ſeu perſeuerantia in exiſtentia nihil eſt aliud quam exiſtentia continuata & in abſtracto continuatio exiſtentiæ.

Dico ſecundò, durationis ſpecies hæ communiter traduntur.

Æternitas quæ proprie ſoli Regi ſæculorum immortali conuenit, & à Boëtio lib. 5. de conſol. philoſ. proſ. 6. æternitas dicitur interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio, ſiue duratio omnino inuariabilis & independens; ſicut enim Deus exiſtit independenter à quocumque, ita etiam perſiſtit in exiſtentia independenter etiam à quocunque; ſunt tamen quædam quæ in æternum duratura ſunt, ſuntque ordinis ſupernaturalis, vt viſio beatifica, & beatifica dilectio, & dicuntur habere æternitatem participatam.

Æuum

Æuum eſt duratio entis creati naturalis ſtabiliter, ac perenniter ſeſe habentis, ita vt corrumpi non poſſit, taliſque duratio conuenit Angelis, quos nulla vis naturalis deſtruere poteſt, ſolus Deus eos annihilare poteſt eadē facilitate qua eos creauit.

Tempus propriè non eſt duratio, ſed menſura durationis, attamen communiter accipitur pro duratione rerum corruptibilium; & quando plures corruptibiles res durare conſiderantur vna poſt aliam, ita tamen vt earum duratio deinde ſimul ſumatur, talis duratio tempus diſcretum, v.g. Primus homo duret 25. annis. Secundus, item viginti quinque. Tertius, item vigintiquinque. Quartus ſimiliter. Duratio 100. annorum eſt tempus diſcretum, & duratio cuiuſlibet dicitur inſtans temporis diſcreti.

Porrò, ſicut geometræ locum aliquem imaginarium excogitarunt, vt diſtantias ſecure menſurare poſſent, ita etiam tempus aliquod imaginarium excogitarunt, vt durationes menſurare poſſent, & ab aliquibus dicitur menſuratio poſſibilis. Ad maiorem intelligentiam conſule quæ diximus de ſpatiis imaginariis.

QVÆSTIO II.

An Duratio ſit diſtincta à re durante.

DIco: duratio non eſt entitas diſtincta ab omni prorſus ſubſtantia, ſed eſt ipſamet res durans cum relatione ad menſuram.

Probatur: in Deo eſt vera duratio, Deus enim durauit, durat, durabit per totam æternitatem; atqui duratio Dei non eſt talis entitas diſtincta à

ſubſtantia

ſubſtantia Dei; inde conſequentia deducitur ad cæteras omnes durationes, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; atqui ſine tali entitate poſſumus reddere rationem eorum omnium, quæ de duratione quæruntur.

Obiicies primò, Deus erat ante mundi conſtitutionem;ſed tunc nulla erat menſura;ergo duratio non dicit reſpectum ad menſuram.

Reſpondeo, diſtinguo minorem: nulla erat menſura actualis, Concedo: poſſibilis, Nego.

Inſtabis primò, atqui neque poſſibilis; ergo nulla ſolutio. Probatur: infinitum menſurari non poteſt, ſed eſſe Dei eſt infinitum, eſt enim æternum, ergo menſurari non poteſt; ergo ſi menſurari nequeat, non erit poſſibilis menſura reſpectu illius.

Reſpondeo, diſtinguo maiorem: infinitum menſurari non poteſt adæquatè, Concedo: inadæquatè, Nego: Deus igitur menſurari poteſt inadæquatè, quia poſſumus dicere tandiu durauit Deus, quandiu durauit mundus: non quod excludamus diuturniorem durationem, ſed limitatio ſe tenet ex parte intellectus noſtri qui ob debilitatem ſuam totam æternitatem capere non poteſt. Durauit igitur Deus ante mundi conſtitutionum tot ſæculis, quot aſſignare poteris, & adhuc vltra infinities.

Inſtabis ſecundò, cum Arriaga diſt.15. phyſic. ſect.1. ſubſect.3. non valet conſequentia à Deo ad creaturas, quia à creatura ſeparari poteſt hoc quod eſt durare hodie & cras, non autem à Deo, vnde non eſt mirum ſi ab illa diſtinguatur duratio hodierna, non verò à Deo.

Reſpondeo à Deo etiam ſeparatur hoc quod eſt durare hodie: nam heri exiſtebat totus Deus,

&

& non durabat hodie,quia hodie nondum erat.

Inſtabis tertiò, quando diximus Deum hodie non durare cras, nil aliud à nobis intelligitur, quam hodie non exiſtere ipſum cras, etiamſi hodie exiſtat in Deo tota ratio qua cras exiſtet; atque adeo inde præcisè infertur hodie & cras non coexiſtere ſibi,at creaturæ quæ hodie durant non exigunt ex ſua eſſentia durare cras.

Reſpondeo eodem modo: ratio cur hodie & cras ſeparantur à creatura, ſi tamen ſeparari dici debeant, eſt quia hodie & cras ſunt incompoſſibilia: nam quantum eſt ex parte creaturæ, illa habet etiam rationem exiſtendi cras, dummodo Deus velit eam conſeruare; voluntas autem Dei eſt aliquid extrinſecum, conſeruatio eſt actio quæ,vt alibi probabimus, non eſt entitas diſtincta ab omni prorſus ſubſtantia: nec tamen dicenda eſt duratio conſiſtere formaliter in actione, ſed in termino actionis. Demum in hoc hallucinatur Arriaga: nam hodie & cras ſonant tempus reale, atque adeo addunt aliquid ſupra ſimplicem durationem,ſcilicet menſuram actualem, vt infra explicabimus.

Confirmatur: priuationes & negationes durant in ſententia aduerſariorum, ſed nunquid durant per entitatem diſtinctam & per aliquid poſitiuum? ſine dubio hoc eſt maximè abſurdum.

Quæres quomodo res incipiant & deſinant.

Reſpondeo res incipere per primum ſui eſſe, & deſinere per vltimum ſui eſſe, nec ibi tantum myſterium deprehendo, vt quæſtiuncula egeat diſputatione prolixiori.

QVÆSTIO III.
Quid ſit Tempus.

ARiſtoteles definit tempus ſic, numerus motus ſecundùm prius & poſterius. Numerus, ſcilicet numeratus, non verò numerus numerans, ſiue numerus ſumptus pro motu ſumpto ab intellectu attendente partes eius, vt ipſas habet non ſimul & permanenter, ſed ſucceſſiuè, non verò ipſamet operatio intellectus:verùm præterquamquod diffiteri non poſſumus definitionem illam eſſe obſcuram, videtur non eſſe legitimam: nam tempus eſt quantitas continua; atqui numerus non eſt quantitas continua,ſed diſcreta; ergo tempus non eſt numerus. Deinde tam bene metimur quietem quam motum; ergo definitio illa non videtur eſſe ſufficiens: verum quidquid de illa ſit,

Dico: tempus rectè definitur ſic,menſura durationis.

Explicatur: cum menſura actiua & paſſiua debeant eſſe ſimilares; quis enim vellet metiri durationem vlnâ & pendere latitudinem huius parietis? ideò ad metiendos motus; homines ſemper aliquem motum notiſſimum elegerunt,talémque menſuram non ſolùm motibus, ſed omnibus durationibus applicuere; quia verò inter motus conſtantior, notior & æquabilior eſt motus Solis & Lunæ,illum elegerunt, vt durationes menſurarent. Quapropter duplex eſt tempus, vnum eſt naturale & eſt motus Solis, aliud artificiale vt motus horologij, verbi gratiâ, & ad hoc poſuit Deus Solem in cœlo, vt eſſet in tempora,dies & annos.

annos. Tempus igitur eſt Sol non ſimpliciter, ſed vt reſpondet ſucceſſiuè, & regulariter diuerſis cœli partibus per motum conſtantem per quem nationes omnes poſſunt commodè metiri durationes rerum omnium. Dies eſt ſpatium quo Sol circulum mundi perficit. Menſis quo trigeſies. Demum eſſe in tempore importat aliquid ſupra id quod eſt durare; importat enim correſpondentiam & coexiſtentiam cum tali motu ab hominibus aſſumpto in menſuram.

Obiicies primò, ſi Deus deſtrueret omnia præter cœlum Solis, & Sol ſemper ſuas circulationes perageret, tunc reuera eſſet tempus, & tamen non eſſet menſura, nihil enim eſſet quod menſuraretur; ergo tempus non eſt menſura.

Reſpondeo in hoc caſu fore tempus ſicuti foret menſura & vice verſa, & reuera tunc nihil menſuraretur, atque adeo non eſſet menſura actualis, ſed potentialis, ita etiam non eſſet tempus actuale, ſed potentiale; tempus enim inuoluit vtrumque, eſt enim duratio reſpondens tali motui.

Obiicies ſecundò, ante conſtitutionem mundi erat tempus; atqui tunc non erat motus Solis, aut aliqua alia menſura.

Reſpondeo, Nego maiorem de tempore reali, erat tantùm tempus mathematicum, vel melius erat tunc dumtaxat æternitas diuina.

Obiicies tertiò, ex D. Auguſt. tempore Ioſuë Sol ſtabat & tempus ibat.

Reſpondeo, non erat tunc tempus ſicut nunc, ſiue commune omnibus populis, ſed erat tempus particulare horologiorum: niſi fortè dicatur tunc fuiſſe tempus commune, ſi aliud aſtrum ad menſurandas durationes fuerit aſſumptum.

Obiicies

Obiicies quartò, motus Solis habet ſuam durationem; ergo dabitur tempus temporis.

Reſpondeo motum Solis poſſe comparari ad ſeipſum, ſic Solem durare per annum eſt Solem exiſtere per 365. reuolutiones, vel poteſt comparari motus vnius aſtri cum motu alterius.

Aduerte tempus non importare entitatem diſtinctam ab omni prorſus ſubſtantia; eſt enim tantùm coexiſtentia cum tali motu; neque datur inſtans reale phyſicum, ſed tantùm mathematicum, niſi forte dicas inſtans phyſicum eſſe motum quo Sol percurrit vnum punctum phyſicum ſui cœli, cui non repugnabo.

APPROBATIO FACVLTATIS Monſpelienſis

NOS *ſacræ Theologiæ Doctores & Profeſſores in univerſitate Monſpelienſi, teſtamur legiſſe librum cui titulus eſt* Atomi Peripateticæ &c. *à* R. P. *Caſimiro Toloſano ordinis minorum, ſancti Franciſci Capucinorum compoſitum, in quo nihil invenimus, quod non conſentiat cum fide catholicâ apoſtolicâ & romanâ, & cum bonis moribus. Datum Monſpelij, die decimâ-tertiâ Octobris* 1673.

Gras Doctor & Profeſſor,
du Bouſquet & de Franquovaus.

APPROBATIO R. P. Andreæ Abbail, Doctoris Sorbonici.

EGO *infrà ſcriptus Doctor Theologus almæ facultatis Pariſienſis, nec-non in conventu Monſpelienſi ordinis Eremit. ſancti Auguſtini Theologiæ Profeſſor, fidem facio me legiſſe librum cui titulus eſt* Atomi Peripateticæ &c. *à* R. P. *Caſimiro Toloſate ordinis minorum ſancti Franciſci Capucinorum compoſitum, in quo nihil reperij, quod alienũ ſit à*

fide catholicâ & bonis moribus quapropter iudico eum typis mandari poſſe, in quorum fidem ſubſcripſi. Monſpelij, die 2. Octob. 1673.
F. Andreas Abbail, Auguſt.

APPROBATIO R. P. Philippi à Nativitate Ordinis Carmel. liberalium artium Magiſtri & ſupremi fidei tribunalis cenſoris & conſultoris.

SVmmâ cum voluptate vidi curſum Philoſophicum, cui titulus eſt Atomi Peripateticæ, ſive tum veterum tum Recentiorum Atomiſtarum placita, ad Neotericæ Peripateticæ ſcholæ methodum redacta. *Compoſitum à* R. P. *Caſimiro Toloſate Capucino; opus tanto viro, tantâ induſtriâ, tanto denique ingenio dignum: Concinnatum ſtilo brevi & gratâ facundiâ quæ dum ſuaviter fluit difficilia quæque fortiter penetrat. Prodeat igitur in lucem in gratiam ſcholaſticorum abſolutiſſimum totius Philoſophiæ exemplar & lucidiſſimum ſpeculum, in quo nihil eſt orthodoxæ fidei diſſonum; qui enim aberraret à fide is qui mirâ, quâ pollet Eloquentiâ ſummoque zelo quâ diſputando quâ concionando hoſtes fidei (Calviniſtas dico) toties expugna-*

vir. Denique ipſum opus authorem indicat & ipſius felix ac fœcundum ingenium, ſummum in evolvendis Philoſophicis libris ſtudium quaſi digito demonſtrat. Datum in majori Carmelo Perpiniani, die 12. Iunij 1673.

F. Philippus à Nativitate Carmelita, artium liberalium Magiſter, ſupremi fidei Tribunalis Cenſor & Conſ.

FACVLTAS ADMODUM Reverendi Patris generalis.

NOS Frater Stephanus à Ceſena totius ordinis Fratrum minorum ſancti Franciſci Capucinorum miniſter generalis licet immeritus.

Cum opus cujus titulus eſt: Atomi Peripateticæ, ſive tum veterum tum recentiorum atomiſtarum placita ad Neotericæ Peripateticæ ſcholæ methodum redacta *à R. P. Caſimiro Toloſate noſtri ordinis concionatore ac Theologiæ profeſſore compoſitum, duo ejuſdem Religionis ſapientes verè recognoverint, atque in lucem dari probaverint: virtute preſentium, ac S. obedientiæ meritò concedimus, ut typis mandetur, ſi & ijs,*

quibus id competit, ita placuerit. Datum Bononiæ, die 25. Iulij 1673.

Fr. Stephanus, Miniſter generalis.

APPROBATIO R. P. Gabrielis Baſtidienſis concionatoris Capucini, *ſecundò.* quidem Philoſophiæ, *quartò.* vero ſacræ Theologiæ olim lect. in ſupremo fidei Tribunali Perpinianenſi cenſoris atque conſultoris.

VIſibilem totius mundi corpoream molem ex atomis componi in dubium ut videtur revocari non debet quiſquis verè Philoſophus, hoc eſt, veræ ſapientiæ amicus exiſtit; qui enim hanc in infinitum diviſibilem admittit in varia abſurda rectæ rationi repugnantia neceſſario incidit: unde tractatus Philoſophici hanc doctrinam propugnantes mihi multum non placére non poſſunt; præſertim liber cui titulus eſt: Atomi Peripateticæ, ſive tum veterum, tum recentiorum Atomiſtarum placita, ad Neotericæ Peripateticæ ſcholæ methodum redacta à R. Patre Caſimiro Toloſate Capucino: *cujus lectio à me facta ex impoſitione & commiſſione ſuperiorum hanc à me ſententiam jure exigit & ego iuſtitiæ debitum ſolvens libentiſſime profero; videlicet*

præfatum librum dignißimum eſſe qui ad utilitatem publicam typis mandetur : cum nihil contra fidem Catholicam aut bonos mores contineat, imo perſpicua methodo ſemper veritatem feliciter ſectetur. Ita mecum ut arbitror ſentient omnes quibus veritas cordi eſt. Perpiniani, die 13. Iunij Anni 1673.

F. Gabriel de la Baſtide, Concionator Capucinus & fidei cenſor ac conſ.

APPROBATIO THEOLOGORVM ordinis.

EGO *infrà ſcriptus pro injuncto mihi munere vidi & magna animi delectatione legi curſum hunc Philoſophicum, cujus titulus eſt* Atomi Peripateticæ ſive tum veterum tum recentiorum atomiſtarum placita, ad Neotericæ Peripateticæ ſcholæ methodum redacta *A V. P. Caſimiro Toloſate Prædicatore Capucino, ac ſacræ Theologiæ Profeſſore elaboratum, cui niſi ſtandum eſſet decretis Eccleſiæ ſuperflua videretur omnis approbatio, ſe ipſo enim abunde commendatur : opus ſane eximium, ſagacitatem animi ubique miram, perſpicuitatem invidam, eruditionem quam poßit maximam*

refert, & quod difficillimum eſſe hi qui difficilia pertractant, experiendo dignoſcunt ſoliditatem ſummam cum ſummâ perſpicuitate conjungit, nec tamen ſoliditati perſpicuitas officit: ſtat ſub hâc ſermonis facilitate integra non minor ſed explicatior. Enim vero dum explicat quid lucidius? dum refellit quid nervoſius? quid ſolidius dum edocet exponit ſiquidem materias omnes Philoſophicas ordine miro & pulcherrimo, diſcurſu conſequenti & efficaciſsimo ſtylo ſuavi & verè ſcholaſtico, nihil intactum relinquit vulgares difficultates non vulgari doctrinâ explanat, novas adverſariorum tricas mira facilitate explodit, plures ſibi eaſque graviores excitat, ut fortiorem ſeipſo hoſtem quem impugnaret; habuerit neminem quare dignum reputo prælo, utpote nullius offenſioni obnoxium ſed potius fidei conſonum & communi utilitati paratum. datum Biterris, die 24. Iunij 1673.

F. Ioannes Liauconenſis Theologiæ profeſſor.

EGO *infrà ſcriptus ſacræ Theologiæ profeſſor qua valui diligentia perluſtravi opus quod inſcribitur* Atomi Peripateticæ ſive veterum recentiorumque atomiſtarum pla-

cita ad Neotericæ Peripateticæ ſcholæ methodum redacta *auctore admodum venerabili Patre Caſimiro Toloſate noſtri ordinis concionatore & ſacræ Theologiæ profeſſore, nihilque in eo deprehendi quod ortodoxæ fidei bonis moribus adverſetur, ſed potius omnia, adeò feliciter inventa, adeò exactè diſcuſſa, adeò ſolidè ſtabilita, adeò præclarè diſpoſita, adeò diligenter exculta, ut fiducia ſit, ſi publici juris fiunt, ad veritatis agnitionem & veræ germanæque Philoſophiæ promotionem plurimum adjumenti & ad auctoris religioniſque noſtræ decus plurimum ornamenti allatura. Sic teſtor* Narbonæ *calendis Iulij, Anno Domini* 1673.

F. Vrbanus Toloſas ſacerdos Capucinus, & ſacræ Theologiæ Profeſſor.

INDEX NOTABILIVM in tertio Tomo duas priores Phyſicæ partes continente.

A

ACCIDENS non poteſt generare ſubſtantiam. 75
Actio & reactio datur. 391
Ædificia ad perpendiculum conſtructa non ſunt parallela. 462
Aër an ſit. 441
Eſt maxime humidus & remiſsè calidus. 442
Minus humectat quam aqua. 442
Flabello motus refrigerat. 443
Habet poros. 444
Vbique grauitat. ibid.
Ore diducto efflatus eſt calidus, anguſto frigidus. 448
An purus ad reſpirationem ſufficeret. ibid.
Eius variæ qualitates vnde. 349. 442
Eius tota maſſa cuius figuræ. 446
Eius tres regiones. 447
In *Oeolipilis* quomodo fiat ventus. 487
Æternitas quid. 234
Æther vnde ſic dictus. 268
Æuum quid. 235
Agentis virtus debet ſuperare paſſi reſiſtentiam quomodo. 392

Alchymiſtæ quomodo explicent auri & aliorum geneſim. 516
Quæ principia ponant. 26
Alterationis definitio. 372
Eius ſubiectum. 373
Anima rationalis eſt de materia hominis licet ipſa ſit immaterialis. 76. 86
Anſer vitreus aſcendit vel deſcendit in tubo aquæ pleno ſecundum preſſionem. 453
Antimonium ad ſolem exſiccatum fit grauius. 301. 355
Antiperiſtaſis quomodo fiat. 387
Appetitus quid & quotuplex. 36
Aqua, elementũ frigidiſſimũ, humidũ & graue. 449
Quomodo recuperat frigus. 92
Quomodo recipiatur in vaſe cineribus pleno. 191
Cur detinetur in vaſe hortenſi; & phiala euerſa. 208
In vinum tranſire poteſt. 410
Non eſt neceſſe ad conſecrationem vt infuſa in calicem tranſmutetur prius in vinum. ibid.
Paulatim ſumpta magis extinguit ſitim quam celeriter hauſta. 449
Mota difficilius putreſcit. ibid.
Pura oleum non eluit nec atramentum. 450
Calida cur extinguat ignem. 452
In ſuo naturali loco grauitat. 452
Quænam ad potum ſalubrior. 511
Eius pondus non ſentiunt vrinatores. 454
In marina facilior natatio. 449
Ea vas plenum aliquos nummos recipit ſine effuſione. 191
Aſtra ſunt corpora ſolida. 268
Sunt corruptibilia. 269

Sunt diuerſæ ſpeciei. 270
Sunt diuerſæ ſpeciei. 274
Cuius ſint figuræ. 276
Quomodo maneant ſuſpenſa. ibid.
Agunt in hæc inferiora. 277
Sunt in ſigna & tempora. 278. 286
Non agunt per ſolam lucem. 278
Non poſſunt agere directe in mentem. 281
Agunt indirecte in mentem. 282
Illis non debet tribui totaliter effectus. 279
Eorum motus non eſt vis agendi. 280
Ceſſante eorum motu non ceſſaret omnis actio. ibid.
Aſtrologi quid poſſint prædicere. 285
Aſtrologia duplex. 284
Ars quid. 14
In quo conveniat cum natura. ibid.
In quo differat à natura. 15
An nobilior natura. ibid.
Modificat opera naturæ. 16
Atomi dantur. 48
Non ſunt eiuſdem figuræ. 55
Quomodo ſint eiuſdem vel diuerſæ rationis. 56. 59
Non poſſunt occupare ſpatium minus & minus in infinitum. ibid.
Non poſſunt mutare figuram. ibid.
Ex eis quomodo fit compoſitio. 60
Atramentum quomodo eluatur. 450
Attractio per calamum quomodo fit. 212
Aurum verum fieri arte Chymica non eſt impoſſibile. 17
An omnium metallorum nobiliſſimum. 519
Eius materia ſecundum artem & ſecundum naturam. 516

B

B*Rachium* exporrectum cur diu ſuſtinere non poſſimus. 349
Bullæ intra aquam quid ſunt. 408

C

C*Alor* duplex. 323. 429
Quid ſit. 324
Cur congreget homogenea. 326
Ex aqua & calce excitatur. 436
Calorem contrahunt madefacta. 437
Calx quomodo in puluerem redigitur. 437
Candela longius trahens ellychnium fumat. 435
Difficile ad flammā vehementem accenditur 433
Ad eam accendendam iuuat flatus. ibid.
Capræ ſaltantes. 466
Caro cur aſſurgit in cucurbitulis. 206
Caſtaneæ torrefactæ crepitant cur. 369
Catinus ſtanneus prunis impoſitus liquefit niſi liquorem contineat. 451
Centrum grauitatis & magnitudinis. 458
Circulus lacteus. 480
Cœlum vnde dictum. 259
Eſt corpus ſimplex. 260
Eſt incorruptibile. 261
Non genitum eſt. 263
Non eſt animatum. ibid.
Eſt permeabile. 264
Eſt creatum non ad dominium, ſed ad hominis miniſterium. 282
Quotuplex. 267
Color varius nubium. 481
Colorata luci expoſita citius diſpereunt. 305
Cometæ varij. 474
Eorum formatio. 475. & ſeq.
Eorum ſignificatio. 478

Contiguum

Contiguum quid. 133
Continuum quid. ibid.
Vnum fit ex viridi ligno & ſicco. ibid.
Non conſtat ex punctis Mathematicis. 136
Neque ex partibus diuiſibilibus proportionaliter in infinitum. 141
Conſtat ex atomis. 157
In eo ſunt actu partes. 150
Corona meteora. 482
Corpus quomodo ſubſtantia incompleta. 87
Idem poteſt eſſe circumſcriptiue in pluribus locis. 192
Quomodo vnum differt ab alio. 82
Penetrari nequit naturaliter ab alio corpore. 190
Corruptionis definitio. 395
An ſit naturalis. 399
In ea non datur reſolutio vſque ad materiam primam. 411
In ea quid perit. 89
Creationis corporum termini ſunt atomi duntaxat. 48
Creaturarum nobiliſſima an poſſibilis. 174

D

DEinceps eſſe quæ dicantur. 133
Denſitas in quo conſiſtat. 336
Eius cauſa. 340
Deus poteſt producere plura quam actu fuerint, ſint aut erunt. 164. & ſeq.
An ſit in ſpatiis vltra-mundanis. 189
Durationis definitio & diuiſio. 234
Non eſt Entitas neoterica. 235

E

EBullitio maior in glutinoſis. 338
Eius cauſa. 338. 450
Eductio quomodo ſupponit tranſmutationem. 69

Elementi acceptio & definitio. 316
Eſſe quatuor duntaxat non eſt demonſtratũ. 319
An diſtinguantur ſpecie. 322
Cuius ſint figuræ. ibid.
Habent intrinſecam vim mouendi ſe. 341
Remanent in mixtis formaliter. 402
Sunt materia omnium corporum. 411
Ellychnium non fumans. 435
In candelis & lampadibus ad quid? ibid.
Empyreum non eſt permeabile. 266
Eſſentiæ diuerſitas vnde. 57
Euchariſtia. In ea quid ſit extenſio. 128
In ea quomodo remanet quantitas. 127
Exhalatio quid. 465
Extenſio actualis in ordine ad ſe non poteſt eſſe ſine extenſione in ordine ad locum. 120

F

Ferrum tunſione incaleſcit. 326
Candens in aquam immiſſum induratur. 450
Fictilia indurantur igne. 328
Figura quid? 19
Firmamentum quid? 265
Flamma excitatur. 433
Conſtantem ſeruat figuram. ibid.
In longiori tubo & in cellis vinariis extinguitur. ibid.
Eius crepitatio. 435
In eius extremitate lamella fuliginis minus contrahit quam in medio. ibid.
Eam aliquando flatus excitat. 438
Fluxus & refluxus variæ cauſæ. 496
Follis occluſis foraminibus nequit diſtendi. 212
Fontes quomodo deficiant. 509
Eorum origo. 506
Aliquorum æſtus. 509

Eorum diuerſæ qualitates. 511
Eorum jactus. 454
Formæ definitio. 45
Dat eſſe materiæ. 42. 45. 66
Explicatur à Neotericis. 60
Neoterica non datur. 61
Adæquata eſt harmonia partium. 77
Eſt ratio quidditatis. 78
Eſt natura. 78. 101
Educitur quomodo. 78
Dat eſſe rei. 79
Non poteſt ſeparari à materia niſi ratione. ibid.
Specialis ſeu principalis quæ? 80
Adæquata facit ſpeciem. 85
Eſt accidens quomodo. 83. 89
Eſt radix operationum. 84. 92
Materialis eſt in continuo fluxu. 95
Corporeitatis quid? 96
Quomodo detur. 98
Partiales quomodo dentur. ibid.
Cadauerica non datur. 100
An ſit tota eſſentia. 102
An poſſit exiſtere ſine materia. ibid.
An corrupta poſſit reproduci. ibid.
An eadem duplicem materiam informare. 103
An exiſtat per materiam. 104
Fractio non fit niſi præceſſerit inflexio. 203
Frigoris definitio. 327
Eius qui ſentitur in fundo lebetis cauſa. 451
Fulgor quid. 312. 387
Fulgur quid. 470
Fulmen quid. 471
Quadruplex. 472
Eius effectus mirabiles. ibid.
Eius cuneus. 473

G

Elu non fit ſolo frigore. 449
Generationis definitio. 394
Subſtantialis quid requirit. 82
Generans quid producit. 94. 97
Generatio vnius an corruptio alterius, 100
Non fit in inſtanti. 219. 220
Potuit eſſe ab æterno. 250
Illius terminus ſpecificatiuus. 395
In quo conſiſtat formaliter. 396
Quomodo diſtinguatur ab alteratione. 397
An prior corruptione. 400
An diſtinguatur à mixtione. ibid.
Glacies quomodo fit. 449. 456. 493
Grandinis formatio. ibid.
Grauitas non eſt qu. . .as neotericis 350
Non eſt motus deorſum. 353
Eſt qualitas reſpectiua. 354
Conſiſtit in pondere cum determinatione verſus centrum. ibid.
Grauium motus. 346

H

Harmonia non eadem in mortuo ac viuo. 94
Horologia quomodo mouentur. 18
Humidi definitio. 328
Hydria cur mergatur. 453

I

Ignis in mixtis cur non ſentiatur. 408
Eum extingui quid eſt. ibid.
Quomodo fit calidus. 429
Non humidus eſt. 430
Quomodo calefaciat. 431
Quomodo comburat. 431
Quomodo excitetur. 432
Quomodo luceat. 434

Quomodo extinguatur. 438
Camphoræ, &c. non extinguitur Vento. ibid.
Quomodo emolliat aliqua. 439
Magis calefacit quam aër. 443
Fatuus. 487
Subterraneus. 440
Illius an detur ſphæra. 439
In eo an viuere poſſit animal. 440
Ei admota manus gelida dolorem ſentit. 436
Ei admota manus vſta ſanatur. ibid.
Igneſcunt aqua ſine flamma. 438
Impetus definitio. 356
Non eſt qualitas neoterica. 359
Infiniti definitio & diuiſio. 161
Syncategorematicum eſt poſſibile. 164
Categorematicum reale non datur de facto 165
Categorematicum obiectiuum datur. ibid.
Categorematicum reale eſt poſſibile. 166
Clauſum terminis an poſſibile. 175
Infinita viſio non comprehenderet Deum. 173
Influentia cæleſtes ſunt effluuia ſpirituum. 279
Cur vim habeant in ortu animalium. 283
Intenſio qualitatum. 377
Interuallum quid. 198
Iris. 483

L

Lamina ferrea cur attolli non poſſit è plano. 240
Lapis. 515
Leuitas. 350
Liquida ſolidis vniuntur in Mundo. 255
Lixiuium oleum eluit. 450
Locus quid. 177
Eius immobilitas. 178
Eius diuiſiones. 179
Diſtitus motu acquiri non poteſt niſi tranſeun-

do per medium. 229
Illum replere & occupare differunt. 181
In eo per quid res ſit. 183
Lumen quid. 301. 307
Lunæ maculæ. 296
Lux quid. 286. 296
Eius origo. 287
Initio congregata eſt in ſole & ſtellis ſicut aqua in mari & lacubus. 291
Non eſt accidens neotericum, ſed ignis. 297
Reflexa à ſpeculo concauo cõburit in loco. 299
Non mouetur in inſtanti. 303
Tribus primis diebus non erat accidens neotericum 316

M

Manna quid? 494
Maris motus. 496
Salſedo. 504
Ad eius littus effodiuntur aquæ dulces. 505
Materia prima datur. 34
Recte definitur ab Ariſtotele. 35
Eſt quanta. ibid.
Eiuſdem ſpeciei in omnibus ſublunaribus. 35
Ingenerabilis & incorruptibilis. 36
Quomodo appetit formas. 37. 125
Exiſtit per ſuam propriam exiſtentiam. 41
Quomodo pura potentia. 40. 82
Eſt congeries atomorum. 54
Corporis materia quæ? 76
Mellis formatio. 494
Memnonis ſtatua cur mouebatur oriente ſole. 305
Metalla quid? 516
Eorum ſpecies. 518
Meteora quæ ſint. 464
Eorum materia proxima. ibid.
Mixtio quid. 400

Montium

Montium frigoris cauſa. 492
Motus definitio. 216
In tardo non ſunt morulæ, 137

N

Nigredo quid. 127
Eam augent mollities, viſcoſitas, &c. 128
Nutrices cur ſentiunt lac eas ſtimulare cum infantes flent. 175
Nutritio in plantis & in animalibus. 43
Nutritiua potentia quid. 42
Per omnes partes diffunditur. 42
Ei ſubſeruiunt præcipue quatuor aliæ potentiæ. 42

O

Oculi videntur è propria ſede egredi cum attendimus ad aliquid. 134
Eorum picturæ in quo ſint. 136
Per binos obiectum vnicum videtur. ibid.
Illis percuſſis apparent ignes. 150
Odor quid. 109
Illo cerebrum recreatur. 110
Illius ſpecies. 111
Qui eſt intra nos non ſentitur à nobis. ibid.
Eum bruta exquiſitius ſentiunt quam homines. ibid.
Parum differt à ſapore. 109. 112
Aliquorum non ſentitur niſi in aliqua diſtantia. 113
Olfactus obiectum. 109
Organum. 110
Medium. 111
Exercitium. 112
Opacitas quid. 131
Opaca fiunt diaphana ſi in tenues laminas ſecentur. 133

Orificia puteorum Nigra apparent. 129
Ouis lupum quem tanquam viderat timet. 178

P

PArtes quænam animentur. 26
Perſpicilia vtilia cur? 135
Phlegmatici ſomniculoſi. 181
Planta dicit gradum viuentis cum negatione vlterioris perfectionis. 12
Eius degeneratio. 20
Eius nutritio. 43
Eius generatio. 63
Partium vniuerſaliorum formatio. 64
Potentiæ non diſtinguuntur totaliter ab anima. 36
Quomodo ſe habeant inter ſe. 39
Senſitiuæ ſunt actiuæ & paſſiuæ. 71
Motrix. 157
Quomodo motrix diſtinguatur ab appetitu & phantaſia. 158
Eius exercitium. ibid.
Proceſſus mamillares quid. 119
Pueri cito diſcunt & cito obliuiſcuntur. 141

R

RIdens riſum mouet. 176

S

SAnguis vulnerati dicitur ebullire coram vulneratore. 175
Sapor quid. 105
Eius varia actio in linguam. 106
Eius variæ ſpecies. ibid.
Scintillæ ex oculorum fricatione apparent. 134. 150
Semen quid. 48
Non eſt excrementum, ſed fructus. 42
Ante organiſationem non eſt animatum anima rationali. 50

Quomo

Quomodo viuat. 5*
Non deſtruitur, ſed perficitur, dum organiſatur. 52
Cuius ſpeciei ſit. 54
Senſatio quomodo fiat. 80
quamlibet ſequitur aliqua appetitio. 71
An fieri poſſit ſine præſentia obiecti. 89
Interna in qua parte cerebri fiat. 151
Senſibilis definitio & diuiſio. 73
Commune an imprimat ſpeciem ſui. 9.
An indigeat medio externo vt ſentiatur. 95
Vehemens quomodo lædat ſenſum. 96
Commune non ſemper diſtinguitur à proprio. 115
Senſus definitio. 70
Externus quotuplex. 92
An perfectior in homine quam in brutis. 95
An errare poſſit. 97
Eorum ordo. ibid.
Illis medium coniunctum ſapienter natura prouidit. 99
Affici poteſt à qualitate non excedente illam quæ in eo eſt. 101
Interni quot. 139
Non ſunt Entitates neotericæ. 140
Eorum organum & ſubiectum. 142
Nullus propriam ſenſationem cognoſcit. 143
Non iudicant de obiecto. 144
Non percipiunt obiecta inſenſata. 146
Eorum exercitium. 148
Somnus quid. 180
Illum cur quædam concilient, aut iuuent. 181. 182
Matutinus ſuauior. ibid.
Lucio arctior. ibid.

Aliquando

Aliquando pleno ſtomacho non contrahitur & vacuo conciliatur. 182
Somnium quid & quotuplex. 183
An illi ſtandum. 184
Sonantia manu compreſſa amittunt ſonum. 118
Sonus quid. 113
Minor auditur licet non percipiatur. 103
Suauior è corporibus concauis & politis. 114
In quo recipiatur. 117
Sonus, vox, ſermo differunt. 119
Quomodo propagatur ſphærice. ibid.
Quomodo dignoſcitur qua parte fiat. 120
Species admittendæ ſunt. 76
Repræſentant vt quo non vt quod. 79
Quid ſunt. ibid.
Deferuntur ad cerebrum motu tum ſpirituum tum neruorum. 85
A quo producantur. 86
An ſeruari poſſint ſine obiecto. 87
An obiectiue diuiſibiles ſint. 90
Ex ſpecie & potentia fit vnum. 91
Quomodo deſtruantur. 92
Non ſunt qualitates neotericæ. 148
Eſt duplex. ibid.
An inſenſatæ admittendæ. 151
Speculum. In eo quid videtur. 137
Spiritus ſunt principium actionum quæ tribuuntur animæ neotericæ. 30
Non redeunt in inſtanti in parte ſtupente. 33
Quid & quotuplex. 34
Stridor ex ſciſſione carthæ. 117
Surdi Cytharæ Manubrium dentibus prehendentes audiunt concentum. 114
Sympathia quid. 173
Duobus modis exerceri poteſt. 174

T

TActus organum. 98
Obiectum & medium. 99
Non ſentit qualitatem in ſe exiſtentem. 104
Quotuplex. ibid.
Eius exercitium. 105
Taletis aſinus ſale onuſtus in aquam ſponte procumbebat. 165
Taliſman. 179

V

VEgetantis animæ potentiæ. 33
Vigilia. 180
Viſio indiget medio externo. 95
Viſus obiectum. 130
Exercitium. 132
Organum & medium. 135
Vita quid. 21
Metaphyſicè vniuoca, Phyſicè [illegible]a. 23
Viuentium à non viuentibus diſtinctio. 2
An habeant terminum paruitatis. 45
Vox quid. 119
Vulpis aſtus. 163

FINIS.

ERRATA PRÆCIP[illegible]A.

PAgina 1. lin. 11. vniuerſitatibus, lege vniuerſaliores. p. [illegible] l. 9. quæ-
ſtionem, l. cognitionem. p. 5. l. 14. illuſtratum, l. illu[illegible]. p. 9.
l. 15. haberi, l. habere. p. [illegible] l. 24. apponitur, l. opponitur. p. 11. l. 9.
competens, l. comple[illegible]tens. p. 12. l. [illegible] citatarum, l. citatorũ. p. 13. l. 16.
ſupernatur[illegible], l. ſupernaturale. p. 17. l. 9. perfetent, l. profer[illegible] l. 12.
[illegible]rum, l. verum. p. 19. l. 4. agentai, l. agentia. p. 30 l. 11. [illegible]que, l. at.
[illegible] p. 34. l. vlt. ſepulchi, l. ſepulchri. p. 36 l. 10. ſit, l. ſit. p. 45. l.
[illegible] teria, l. materiæ. p. 52. l. 4. plena, l. plana. p. 54. l. 25. Philoſo-
[illegible] l. Phyſica. p. [illegible] ſuprapoſitorum, l. infrapoſitorum. p. 65. l. 13.
[illegible] lege ſunt. p. 95. l. 29. primam, l. per. p. 107. l. 27. vſitatem,
[illegible]tatem. p. 114. l. 17. ſexto, l. ſex. p. 115 l. 28. tau[illegible] l. tantum.
[illegible] l. 14. connot[illegible], l. connotat. p. 123. l. 5. Lamb[illegible], l. Yzam-
bertus. p. [illegible] l. 1[illegible] gen[illegible], l. genuinum. p. 132. l. [illegible] dele, non.
p. [illegible] l. 21. fa[illegible], l. facere. p. 143. l. vlt. Dico, l. Dicet p. 145. l. 47.
compoſiti, l. continui p. [illegible] l. 22. ſuperadditas, l. ſupra[illegible]tas. p. 167.
l. 27 praterea, l. præter [illegible] 168. l. 3. vigent, l. vigeret. l. 27. non
poteſt coaleſcere, l. non poteſt non coaleſcere. p. 172. l. 5. obiicies,
l. Dico. p. [illegible] l. 20. atque, l. atqui p. 188. l. 25. vi, l. vt. p. 190. l. 29.
impetrationem, l. impenetration[illegible] l. 26. ſpecioſa, l. ſpatioſa.
p. 208. l. 2[illegible] expanſæ [illegible] 4. gurratim, l. guttatim.
p. 214. l. [illegible] l. excelſa. p. 222 l. 20.
decreſcunt, l. cr[illegible] l. ſecandum. p. 238.
l. 22. pendere [illegible] l. iſtum [illegible] 268. l. antep.
cuius alij, l [illegible] l. hic [illegible] non adducam.
p. 292. l. [illegible] 94. l. 7. probatum, l. probatu. p. 305.
l. 11. fit, [illegible] m, l. duritiem. l. 15. nudæquæ, l.
nuda [illegible] l. frigore. l. 33. adeo conſtringit,
l. adeo. [illegible] p. 329. l. 25. vnum, l. verum. l. 26. at. l. [illegible]
[illegible] fig 10. l. fig [illegible] p. 396. l. 29. compotum, l. compoſit[illegible]
[illegible] l. 10. [illegible] p. 40[illegible] l. 7. rationabilis, l. rationa-
[illegible]ſtitutas, l. pr[illegible] p. 418. [illegible] 4. primo, l. ſe-
[illegible] iquidem. l. liquidum p. 428 l. 26. aër l. aer.
l. 31. Ca[illegible] l. Calibe, p. 4[illegible] l. [illegible]igna, l. tigna. p. 476.
[illegible] inſtue. p. 436. l. 7. [illegible] aribus. p. 487. l. 13.
[illegible] l. impediuntur. p. 499. l. 26. oppoſitione, l. con-
tractione p. 509. l. 8. delicationis, l. delicatioris.